

Universitätsbibliothek Wuppertal

Mavricii Havptii opvscvla

Haupt, Moriz

Lipsiae, 1875

Observationes criticae

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-5425](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-5425)

OBSERVATIONES CRITICAE.

[Lipsiae apud Weidmannos 1841.]

I.

Quae ante hos quattuor annos de carminibus aliquot Q. Valerii Catulli disputaveram, ea partim a doctis atque intelligentibus harum rerum existimatoribus approbata esse magno sane opere gaudeo, partim errasse me aut id ipsum quod verum esset accurate non tetigisse Godofredus maxime Hermannus, praceptor meus, me edocuit: sunt etiam non nulla, sed pauca, quae a vituperatione fortasse possim defendere. verum ne nimis mihi ipse placere meque amare videar, de his dicere praeterrittam atque initium huius scriptionis a negligentiae cuiusdam meae emendatione quaeram. in carmine enim nonagesimo quinto (p. 72, 44 ss.) Satrachi et Paduae vocabula vera et ab ipso poeta posita esse recte quidem affirmavi (quaest. Cat. p. 97) [*sup.* p. 71], neque id feci primus, sed illud quaerere non recte neglexi, quid permovisset Catullum, reconditarum rerum notitiam ostentare minime solitum, ut ignobilem Cypri fluvium commemorare mallet quam clariorem aut, quod in ista propin quarum et remotarum regionum oppositione expectaveris, longinquiorem saltem orientis annem. enimvero Catullus ne hic quidem sui dissimilis fuit, sed quoniam Smyrnam Helvii Cinnae laudabat, apposite ad hanc laudationem Satrachum nominavit. nam ad Cypriam Smyrnam sive Myrrham Cinnae carmen pertinuisse uno satis docemur versiculo quem Priscianus attulit libro 6 p. 748 P. *At scelus incesto Smyrnae crescebat in alvo*: in quo versiculo rectissime ante alios Burmannus ad Ov. met. 10, 298 *Smyrnae* scripsit, cum codices praeberent aut *cinnae* aut *cirenae*, apud Putschium autem legeretur *Cinyrae*, quod nuper male defensum est. itaque cum Cyprii fluvii mentionem Catullus facit, Smyrnam missum iri

auguratur in eas ipsas regiones quas Cinna carmine illo celebra-
 2 verat. ceterum Satrachi fluvii¹ memoria cum antea mihi videretur
 unice conservata esse eis quae Isaacius Tzetzes ad Lycophronis
 versum 448 ascripsit, Σάτραχος, πόλις καὶ ποταμὸς Κύπρου. τινὲς
 δὲ διὰ τοῦ εἶ γράφουσι Σέτραχον, possum nunc hoc nomen duobus
 aliis exemplis confirmare. etenim Nonnus 13, 458 ss. Paphi
 incolas commemorat, Ἦχι θαλασσιγόνου Παφίης νυμφίῳ ὕδωρ,
 Σάτραχος ἡμερόεις, ὅθι πολλάκις οἶδμα λαβοῦσα Κύπρις ἀνεγλαίνωσε
 λελουμένον υἷα Μύρρης. Friderico Graefio debetur Σάτραχος,
 nam ante eum scribebatur Σέστραχος: poterat minore mutatione
 poni Σέτραχος. deinde in etymologico magno haec inveniuntur
 p. 117, 33 ss. Ἄωος, ποταμὸς τῆς Κύπρου. Ἄω γὰρ ὁ Ἄδωνις ὠνο-
 μάζετο, καὶ ἀπ' αὐτοῦ οἱ Κύπρου βασιλεύσαντες. Ζωίλος δὲ ὁ
 Κεδρασεὺς καὶ αὐτὸν ἀπὸ τῆς ἑαυτοῦ μητρὸς κληθῆναι. τὴν γὰρ
 Θεϊάντος μητέρα οὐ Σμύρναν, ἀλλ' Ἄωαν καλοῦσι. Φιλίας δὲ πρῶ-
 τον βασιλέα Ἄωον, Ἡοῦς ὄντα καὶ Κεφάλου· ἀφ' οὗ καὶ ὄρος τι
 ὠνομάσθη Ἄωιον, ἐξ οὗ β' ποταμῶν φερομένων, Σεράχου τε καὶ
 Πλιέως, τὸν ἕνα τούτων ὁ Παρθένιος Ἄωον κέκληκε. ἢ διὰ τὸ πρὸς
 τὴν ἡῶ τετραμμένην ἔχειν τὴν ῥύσιν, καθά φησιν ὁ Παρθένιος, Κωρυ-
 κίων σέυμενος ἐξ ὀρέων, ἀνατολικῶν ὄντων. δύναται δὲ οὕτω κα-
 λεῖσθαι, καθ' ὃ ἡ Κιλικία Ἄωα πάλαι ὠνομάζετο. in his, ut certe
 hoc strictim attingam, μητέρα quod post Θεϊάντος legitur mutan-
 dum esse videtur in θυγατέρα. deinde Σετράχου scribendum esse
 existimabam: nunc intellego triplicem posse in usu fuisse no-
 minis formam, et vera est fortasse vocabuli originatio quam
 Moversius (de rel. Phoen. p. 229) protulit: quamquam reliqua
 eius disputatio in lubrico tota versatur. Parthenium autem su-
 spicari licet Aoum simul cum Adonide commemorasse in elegiis
 suis, in quibus ἱστορίας ξένας καὶ ἀπίπτους inveniri Artemidorus
 ait oneirocr. 4, 63.

Itaque in his quidem Catulli versibus quae boni codices
 habent tuta sunt ab omni mutatione. sed complura supersunt
 in elegantissimi poetae carminibus, in quibus cum satisfacere
 arti non possit veterum exemplarium auctoritas, coniectura
 assequendum est aut certe consecrandum quod dictum esse vi-
 deatur a Catullo. quorum non nulla disputaturus recorder pri-
 mum pulcherrimi illius *Miser Catulle, desinas ineptire*. in quo
 dulcissimo carmine dum se revocat poeta a misero amore, non
 tamen omnem spem recuperandi ea quae perierunt ita abiecit

ut abiecisse videri vult, nec tam obstinata mente obdurat¹ quam 3 de se praedicat. quare multus est in describenda relictæ a se puellæ tristi solitudine atque in fine carminis iterum sese ut obduret adhortatur. verum hæc extrema pars carminis aliter hodie legitur atque a Catullo scripta est. codices enim hæc præbent (p. 5, 6 ss.)

Vale, puella. iam Catullus obdurat,
 Nec te requiret nec rogabit invitam:
 At tu dolebis, cum rogaberis nulla.
 Scelestâ, ne te. quæ tibi manet vita!
 Quis nunc te adibit? cui videberis bella?
 Quem nunc amabis? cuius esse diceris?
 Quem basiabis? cui labella mordebis?
 At tu, Catulle, destinatus obdura.

in his versu illo *At tu dolebis, cum rogaberis nulla* absolvi sententiam neque probari posse quod Ach. Staius scribendum coniecit *cum rogaberis nulla, Scelestâ, nocte*, aut paulo sane melius Vossii inventum *cum rogaberis nullam, Scelestâ, noctem*, simplex qua Catullus uti solet oratio satis docet. similiter propter accuratam verborum oppositionem verissimum habeo quod in eodem hoc carmine Hier. Avantius scripsit *Nunc iam illa non vult: tu quoque, impotens, noli*, cum in codicibus versus in mutilatum vocabulum *impote* desineret. illud autem *cum rogaberis nulla* admonet me ut de errore quodam non nullorum grammaticorum aliquid dicam, qui sicubi congruit Latinus sermo cum Graeco, ad Graecam originem continuo omnia referunt. non defuerunt enim qui consuetudinem illam dicendi, qua maxime poetae adiectiva vel pronomina usurpant ubi ex accurata cogitandi ratione adverbialia requiruntur, a Graecæ linguae imitatione repeterent. hi si constare sibi volunt, vanam declinare non poterunt opinionem, ut dicant tanto opere placuisse Romanis istam imitationem ut partim in cotidianam vulgi consuetudinem abiret atque adeo nullius vocabulo non nunquam populus uteretur cum *non* dicendum esset proprie: nam hoc ipsum sine Graeco exemplo dictum est. quanto rectius in utraque lingua hoc loquendi genus, quod latissime patet, sed ut in non nullis discrimen appareat inter vulgi et poetarum consuetudinem, ex communi Graecorum et Romanorum in cogitando alacritate et quasi agilitate tanquam e fonte suo derivabimus. etenim dum abstracta, ut cum philo-

4^lsophis barbare loquar, devitant et concreta sectantur et omnia cum subiecto aut obiecto orationis, quoniam haec maximi momenti sunt, quantum fieri potest artissime coniungere student, adverbiorum loco, quorum quasi minus vigent notiones, et adiectiva et pronomina saepe numero posuerunt. in qua re Romani, ut dixi, maiore licentia usi sunt quam Graeci, cum negativis quoque particulis pronomina non nunquam praeferrent. nota sunt quae tali modo Plautus et Terentius dixerunt, *nullus creduas, nullus ostenderis, nullus dixeris, tametsi nullus moneas* et similiter alia: dixerunt autem non ut ridicula proferrent, qui videtur non nullorum esse error, sed quod vulgi sermonem retinebant et ut gravius negarent. similiter locutus est, ut vel antiquissimi sermonis vel vulgi consuetudinem imitaretur, Apuleius cum asini l. 7 p. 195 Elm. de puero dixit *nullus tamen desinebat identidem vulnus sanguine delibutum obtundere*, et l. 8 p. 240 *an nulli scitis quo loco consederitis?* quid quod ipsum M. Tullium in epistolis suis, ubi cotidianum sermonem saepe sequitur, ita locutum esse scimus, ad Att. 11, 24, 4 *Philotimus non modo nullus venit, sed ne per litteras quidem aut per nuntium certiozem facit me quid egerit*, cui specie simile est, re ipsa paululum differt 14, 3, 1 *Corumbus Balbi nullus adhuc. et mihi notum nomen: bellus enim esse dicitur architectus*, ubi scripserim *est mihi notum nomen*. nihil differt inter hoc et Livii verba 32, 35, 2 *Philippus nullus usquam nec nuntius ab eo per aliquot horas veniebat*, in quibus etsi vera esse videtur Dukeri correctio: nam quod in libris fere legitur *Philippi* probari non potest deleta, ut I. Fr. Gronovius praecepit, *ab* praepositione, quoniam *nec* particulam a coniungendo et negando ad intendendam negationem Livium non traduxisse praeclare docuit N. Madvigius excursu tertio ad Cic. de fin. p. 821 s.: sed etsi veram puto Dukeri correctionem, tamen non dictum est pronomen adverbii significatione, sed ita uti nos quoque loquimur, *nirgend ein Philippus, bis jetzt kein Corumbus*. sed cum adverbio congruit quod scripsit Cicero ad Att. 15, 22 *ego autem scripsi Sextum adventare, non quo iam adesset, sed quia certe id ageret ab armisque nullus discederet*, et 15, 29, 1 *ad M. Aelium nullus tu quidem domum, sed sicubi inciderit*. verum quoniam in hac orationis forma mirum esse videbatur et^l paene absurdum negari aliquam rem esse et nihilo tamen minus eandem rem dici ali-

quid aut facere aut pati, postquam sermo Romanus ab litteratis hominibus ad accuratam rationis normam directus erat, remotum est illud dicendi genus ex omni graviore oratione. quare neque Cicero in reliquis praeter epistolas scriptis neque alii quorum culta dictio erat scriptores ita locuti sunt. multa enim a grammaticis falso huc referuntur. licebit hoc exemplis aliquot demonstrare. Cicero de or. 1, 9 (38) *quod nisi fecisset inquit, rem publicam, quam nunc vix tenemus, iam diu nullam haberemus*: minime *nullam* dixit ut esset pro adverbio, sed attractione quadam verba artius conexuit quam si ita scripsisset, *nulla iam diu quam haberemus esset res publica*. eiusdem Ciceronis haec sunt in or. pro Roscio Amerino 44 (128), *aliquot post menses et homo occisus est et bona venisse dicuntur. profecto aut haec bona in tabulas nulla redierunt — aut, si redierunt, tabulae publicae corruptae aliqua ratione sunt*. hic quoque non dixerim *nulla* simpliciter positum esse pro adverbiiis *minime* vel *non*, sed cum dici posset et nulla eius bona in tabulas rediisse et non rediisse haec bona, utrumque quodam modo coniunctum est. non prorsus dissimiliter locutus est Cicero de off. 3, 14 (59), *quaerit ex proximo vicino num feriae quaedam piscatorum essent, quod eos nullos videret*, quibuscum rectissime comparata sunt talia quale hoc est de off. 1, 45 (159), *ea Posidonius collegit permulta*. eiusdem Ciceronis verba sunt in or. in Catilinam 1, 7 (16), *sic enim iam tecum loquar, non ut odio permotus esse videar, quo debeo, sed ut misericordia, quae tibi nulla debetur: quod recte dicere poterat misericordia tibi nulla debetur*, hoc adiunxit, nec perperam, relativa oratione. alia in quibus adiectiva pronominis significatio etiam magis manifesta est meritorum praeterire. sed non tantum scriptores, verum etiam poetae non sunt usi nullius vocabulo ubi accurata cogitandi ratio non vel *minime* adverbia requirebat: quanquam etiam de poetarum sermone saepe grammatici non satis accurate et subtiliter iudicaverunt. veluti Vergilius cum dixit ge. 1, 401 *hiberno laetissima pulvere farra, Laetus ager: nullo tantum se Mysia cultu Iactat et ipsa suas mirantur Gargara messis*, non voluit dicere *minime* se iactat, sed *nullus est Mysiae cultus quo tantum sese iactet*. aut quod est Aen. 4, 232 *Si nulla accendit tantarum gloria rerum*, non fortius tantum poeta loquitur quam si diceret *Si non accendit*, sed plane aliter: hoc enim vult, *si nulla est*

tantarum gloria rerum quae animum accendat. denique Aen. 12, 405, ubi haec leguntur, *Nulla viam Fortuna regit, nihil auctor Apollo Subvenit*, cur *nulla* non sit adiectivum significatione equidem sane nullus video: certe si quis nostrum ita diceret, *keine Fortuna zeigt den weg*, num tu crederes pronomine usum esse significatione adverbii? neque quod apud Ovidium est met. 9, 734 *Vellem nulla forem*, vel 11, 579 *Proque viro, qui nullus erat, veniebat ad aras*, rectius huc rettuleris quam quod Catullus dixit carm. 17, 20 (p. 11, 13) *Tantundem omnia sentiens quam si nulla sit usquam.* unum novi poetam nescio dicam an rectius versificatorem qui nullius vocabulo aperte ita usus sit ut pro adverbio substitutum cum verbo artissime coniungeret, illum qui Cirin fecit. in quo carmine de Scylla dictum est v. 177 *Nulla colum novit, carum non respicit aurum.* verum hic poeta, quem nollem nuper a R. Merkelio prol. ad Ovidii Ibin p. 367 ss. ut olim ab I. H. Vossio habitum esse C. Cornelium Gallum (nam multo posteriori tempore carmen minime bonum ascribendum est), totus pendet ex antiquiore oratione Catulli. qui cum saepe populari dictione usus sit, non putandus est respuisse quod eum dixisse ipsa res clamat, *At tu dolebis, cum rogaberis nulla.*

Itaque quae deinde sequuntur *Scelestas*, *ne te* ita sunt emendanda (nam *ne te* nemo probaverit) ut non suspendantur ex antecedentibus, sed per se constet allocutio. in antiquis quibusdam editionibus scriptum est *tene*? ut hoc esset *tene aliquis rogaverit*? id rectius diceretur *tune*, quoniam passiva verbi forma praecedit, atque hoc ipsum *tune* invenio in exemplaribus Parisiensi a. 1528 et Basileensi a. 1530: sed displicent otiosa verba. aliorum coniecturas sciens praetereo: neque enim dubito quin recte Carolus Lachmannus commendaverit Iani Meleagri id est Balthasaris Venatoris *Scelestas*, *vae te!* cum mutatione paene nulla aptissimam lucremur orationem. *vae* particula cum accusativo casu coniuncta bis tantum inveniri videtur in eis qui hodie extant Latinorum scriptorum libris: nam quod Iosephus Scaliger, hoc versu in debile aliquod *rere* incidens, *vae te* in aliud Catulli carmen (68, 94, p. 64, 12) inferre¹ voluit, aliter equidem censeo: de qua re postea dicam. sed in Plauti *asynaria*, 2, 4, 75, omnes libri cum vetere codice Camerarii in his verbis conspirant, *Dabitur pol supplicium mihi de tergo vestro. Vae te!* deinde Seneca in satira Menippea de Claudio Caesare

haec ridicule narrat, [capite quarto extremo] p. 848 ed. a. 1672, *ultima vox eius haec inter homines audita est, cum maiorem sonitum emisisset illa parte qua facilius loquebatur, Vae me: puto, concacavi me.* sed memini et Plauti et Senecae verba propter rariorem dicendi rationem coniecturis temere attentata esse: quam levitatem antiqui et docti grammatici fide refellam. Flavius Caper p. 2244 P. *vae inquit dativus et accusativus sequi debent, non alius, ut Vae populum Maurorum, et Vae populo Maurorum.* repetuntur haec ab ignoto grammatico, nisi Bedam esse recte quidam existimant, depravatis apud Putschium p. 2804 verbis, *vae, dativum et accusativum sequi debet, ut, Alius, vae populo Maurorum, vae populum Maurorum.* ceterum non de nihilo est quod accusativum casum Catullus posuit, cum liceret ei dativo uti: nam in accusativo casu de execratione cogitari non potest, potest in dativo: atqui ab execratione hoc carmen prorsus abhorret.

Ad eandem miserantis, non detestantis, exclamationem pertinet quod proxime sequitur, *quae tibi manet vita!* nam rectissime Lachmannus ab his demum verbis, *Quis nunc te adibit?* interrogationes incepit, quibus antecedentis exclamationis quasi ratio subicitur. illi igitur exclamationi *quae tibi manet vita* Achilles Staius hoc ascripsit, *idem paene dixit Ariannus illis verbis.* βίottiο ος κ' ἐπιδουής Στρωφάται. verba sunt Rhiani apud Stobaeum tit. 4 [34, 3]. sed de victu cogitari non potest. unam eandemque mulierem Catullum et hic alloqui et tangere carmine 37 eo fit manifestum quod quae hic dixerat, *puella — Amata nobis quantum amabitur nulla,* illic similiter repetit, *Puella — Amata tantum quantum amabitur nulla:* nam habet hunc morem Catullus ut de eisdem hominibus eadem dicat saepius aliorumque carminum memoriam venuste repetat, veluti pulcherrima mortui fratris allocutio quam elegiae ad Ortalum Lachmannus praeclaro artificio restituit eadem est in elegia ad M. Allium, et cum dicat in iocoso carmine 23 (p. 12, 24) *Furio neque servum esse neque arcam,* intellegimus quod in proximo carmine dictum est (p. 13, 25) *Isti quoi¹ neque servus est neque s arca* ad eundem Furium pertinere. in quo carmine, ut hoc cursim addam, non puto recte coniecisse Lachmannum in mendosis litteris *mi latere uti* coniunctionem, *Mallet divitias uti dedisses Isti,* neque enim satis plena et elegans fit oratio nudo

illo et ieiuno divitiarum vocabulo, sed fugit Lachmannum verissima Isaaci Vossii emendatio, *Mallem divitias Midae dedisses Isti*, quod proverbii loco dici solet. sed puellam illam amatam tantum quantum amabitur nulla non diversam esse a Lesbia, Lesbiam autem Clodiam istam esse quadrantariam, rectiusque quam nuper factum memini de ea re saeculo sexto decimo primarios quosdam viros iudicasse, liquido confirmare posse mihi videor, ut appareat imminetentem puellae victus penuriam a Catullo commemorari potuisse nullam: verum ab hac demonstratione nunc quidem abstinendum esse sentio. etsi enim spurcarum rerum investigationem saepe tam non possumus defugere grammatici quam ultro eam appetere turpe est, tamen a publico colloquio, cui haec scribo, arcendam esse existimo quaestionem quae sine accurata obscenitatis pertractatione perfici plane nequit. neque vero opus est ut diutius in his rebus commorer, cum per se manifestum sit victus commemoratione dulcissimi carminis venustatem perverti incredibiliter. sed eo tamen laudem meretur Staius quod rectius quam plerique non putavit *quae tibi manet vita* idem esse posse atque *quae te manet vita*. quam opinionem, ut par erat, improbens Laur. Santenius annotatione ad Hier. Balbum (allg. litt. anz. 1804 p. 1846) recte significavit, sicubi inveniri videretur apud scriptores Latinos manendi verbum ea ratione qua accusativum casum asciscere debet coniunctum cum dativo, aut infirma niti codicum auctoritate aut explicandum esse perdurandi vocabulo: poterat remanendi significationem addere. itaque Catullus cum dicit *carm. 76, 5 s. (p. 70, 9 s.) Multa parata manent in longa aetate, Catulle, Ex hoc ingrato gaudia amore tibi*, non significat, si accurate animum advertimus, futura gaudia quae sese quasi expectent, sed hoc vult, praesto ea esse et perdurare per omnem vitam: cogitat igitur tanquam quae iam possideat. similiter Vergiliana ista explicanda sunt *Aen. 5, 348 s. vestra, inquit, munera vobis Certa manent, pueri, et palmam movet ordine nemo*, et *9, 299 s. Quae tibi polliceor reduci rebusque secundis, Haec eadem matricque tuae generique manebunt*. convenit cum his dictio Callimachi, non recte ab omnibus percepta, *lav. Pall. 119 s. Ὡ ἐτάρα, τῷ μὴ τι μινύρεο: τῷδε γὰρ ἄλλα Τεῷ χάριν ἐξ ἐμέθεν πολλὰ μενεῶντι γέρα*. multum autem conferunt ad declarandum utriusque constructionis discrimen Ciceronis verba *or. Phil. 2, 5 (11)*, quamquam haec quoque

specie sua fefellerunt interpretes, *quis autem meum consulatum praeter P. Clodium qui vituperaret inventus est? cuius quidem tibi fatum, sicuti C. Curioni, manet, quoniam id domi tuae est quod fuit illorum utriusque fatale.* ipsa orationis conformatio demonstrat non hoc velle Ciceronem, manere Antonium Clodii fatum vel imminere ei, sed certum ei esse et tanquam praesens: multo igitur gravius loquitur et cum maiore asservationis acrimonia. comparari possunt Graeca non nulla. Euripidis versus est ex Temenidis a Stobaeo allatus tit. 123 (p. 352 Matth. [fgm. 733 N.]) Τοῖς πᾶσιν ἀνθρώποισι καταθανεῖν μένει. ibi cum Valckenarius scribendum coniecisset μέλει, recte hoc improbat Augustus Matthiae suspicaturque μένει idem esse quod πέπρωται, εἴμαρται. scilicet non imminere omnibus hominibus mortem dicit Euripides, sed certam moriendi legem eis manere neque quenquam ab hac necessitate liberari. quod exemplis confirmare possum similibus duobus, Aeschyli, apud quem Ag. 1108 ita loquitur Cassandra postquam mutatam in Iusciniam Philomelam beatam praedicavit, Ἔμοι δὲ μένει σχισμὸς ἀμφήκει δορί, et Lycophronis 1075, Σή-ταια τλήμον, σοὶ δὲ πρὸς πέτραις μόρος Μίμνει δυσαίων. utrobique Cassandra non tam quae aliquando futura sint vaticinatur quam permanentem fati stabilitatem significat, quem ad modum apud Vergilium Iuppiter dicit, Aen. 1, 257, *Parce metu, Cytherea: manent immola tuorum Fata tibi.* sed eius modi interpretatio, ut putemus amaram vitam Lesbiae perpetuo permansuram interrogatione indicari, si multo usu sermonem Catulli bene didici, aliena est ab illo versiculo. Catullo enim, simpliciter ubique loquenti neque unquam orationem oneranti, satis erat dicere *quae te manebit vita? vel quae tibi erit vita?* neque posuisset, opinor, praesens verbi tempus sine aliquo adverbio. illa autem significatio, qua manendi verbum ad verbum substantivum prope accedit et quasi proluditur Itolorum consuetudini *rimanere* suum cum participiis saepe coniungentium, Catulli aetate nondum¹ in-
crebuit: dictum est ita in culice v. 63 ss., *si nitor auri Sub laqueare domus animum non tangit avarum, Picturaeque decus lapidum nec fulgor in ulla Cognitus utilitate manet,* de quibus versibus non recte iudicat recentissimus editor, nec longe aliter locutus est Staius silv. 3, 3, 48 *quid enim terrisque poloque Parendi sine lege manet?* et Theb. 1, 30 *maneat hominum contentus habenis,* aliique posteriore aetate complures. a permanendi

significatione prope abest notio remanendi. restat igitur ut putemus manere dici eam vitam quae reliqua sit et superfutura dempta omni iucunditate. profecto ita non nunquam locuti sunt scriptores Latini, quanquam rarius quam quis opinetur. sed hoc quoque non praestare videtur id quod ut dictum fuisse a Catullo credamus ipsa nos cogitatio sua sponte adducit. ut est, non scripsisse Catullum *quae tibi manet vita* veri admodum simile est propter sincerorum codicum discrepantiam. quorum non nulli non habent *tibi*, in uno scriptum est *tibi quae*, ut depravationis vestigia deprehendantur. sed quod Laur. Santenius coniecit, *quae tibi imminet vita*, etsi bonum est ad sententiam, tamen longius distat a codicibus nec in sede sua vitium quaesitum est: quod autem a Ferd. Handio olim propositum est, *quae dehinc manet vita*, probari nequit nullo addito pronomine. ego vero inserta una litterula quod requiritur sic restituo,

Scelestā, vae te! quae te ibi manet vita!

eius modi aliquid desiderari sensit qui scripsit quod in excerptis Putschii invenitur, *quae te tum manet vita*, quo numeri pervertuntur. *ibi* autem de tempore dictum plane est Catullianum. ita loquitur p. 40, 46. 22. 41, 20. 57, 25, [*carm.* 63, 42. 48. 76. et *carm.* 66, 33.] et, de quo versu postea explicare dicam, 58, 24 [*c.* 66, 59]: *ibi tum* similiter coniungit p. 4, 30 [*carm.* 8, 6]. idem *ibi* restituendum esse puto *carm.* 64, 276 (p. 54, 43), ubi quod vulgo scriptum est, *Sic tum vestibuli linquentes regia tecta Ad se quisque vago passim pede discedebant*, inventum sane est in sincero libro, sed cum exemplaria quae Lachmannus subtili iudicio sequi solet ambo habeant *Sic tibi*, tertium inde efficitur idque nisi fallor verum, *Sic ibi*. accurate congruit quod ubi inchoabatur comparatio dictum erat *Hic, qualis flatu placidum mare matutino Horrificans Zephyrus proclivas incitat undas*. in his omnibus versiculis de praeterito tempore *ibi* dictum est: sed ⁴⁴ apparet non minus recte de futuro dici posse. quod in eorum gratiam qui sine exemplis nihil credunt uno satis est demonstrasse versu Terentii, *Andr.* 2, 3, 5 *Sed si tu negaris ducere, ibi culpam in te transferet.**

*) [In scholis de hoc versu ita fere iudicavit Hauptius: an *quae tibi manet vita* hat man anstoss genommen und mancherlei ungläubliches ver-

II.

Promisi me aliquid dicturum esse de duobus aliis Catulli versibus. ac primum quidem negavi probari posse quod ab Iosepho Scaligero carm. 68, 91 (p. 64, 42) scriptum est *vae te*. leguntur ibi haec in codicibus,

*Nam tum Helenae raptu primores Argivorum
 Coeperat ad sese Troia ciere viros,
 Troia (nefas) commune sepulcrum Asiae Europaeque,
 Troia virum et virtutum omnium acerba cinis.
 Quae vetet id nostro letum miserabile fratri
 Attulit. hei misero frater adempte mihi,
 Hei misero fratri incundum lumen ademptum,*

et quae deinde sequuntur. ibi Scaliger scripsit *Quae (vae te) nostro letum miserabile fratri Attulit.* sed *σχετλιαστικόν*, ut recte appellat, illud *vae te* incommodum est postquam multo aptius praecesserat *nefas*, neque venustum esset si subito Troiam alloqueretur Catullus, nam sequitur statim cum gravi exclamatione pulchra fratris allocutio. praeterea distat a librorum depravatione et illud ipsum quod orationis concinnitas postulat litteraeque mendosae paene demonstrant non attingit. verum in emendando hoc versu etiam reliquos grammaticos operam perdidisse arbitror. duodecim, nisi etiam plures, propositae sunt coniecturae, quarum diversis de causis eadem pravitas est. nam ut praeteream quae quidam sine arte et nulla litterarum a libris traditarum ratione habita commenti sunt, veluti quod ex prima Aldi editione in non paucas transit *Quae nempe et nostro*, aliis contra aptam et poeta dignam cogitandi rationem peccatum est, quem ad modum Huschkius erravit cum scripsisse Catullum putabat *Quin etiam id nostro*: taceo enervatam *id* pronomine orationem, sed noluit profecto Catullus fratris sui mortem, quam in illa regione obierat, cum ingenti ad Troiam pugnantium strage tanquam quae gravior ac miserabilior esset comparare: alia sermonis legibus repugnant,¹ quale N. Heinsii inventum est,⁴²

mutet, damit *manere*, bevorstehen, nicht mit dem dativ verbunden werde, was bei dieser bedeutung allerdings nicht angeht. am erträglichsten ist noch mein *te ibi*; aber auch dies ist ganz unnütz. ich und überhaupt alle die ändern wollten haben den wald nicht vor bäumen gesehen. *manere* bedeutet hier gar nicht bevorstehen, sondern übrig bleiben, *quae tibi relinquitur vita*. — itaque cum Catulli carmina edidit ab omni mutatione abstinuit.]

Quaene etiam nostro: nam *quaene* in interrogatione locum habet diciturque cum quadam attractione pro eo quod est *eane quae*, atque hac ratione et Plautus Terentiusque non nunquam ita locuti sunt et Catullus *carm.* 64, 180 ss. (p. 48, 7 ss.), *An patris auxilium sperem, quemne ipsa reliqui Respersum iuvenem fraterna caede secuta? Coniugis an fido consoler memet amore, Quine fugit lentos incurvans gurgite remos?* denique versum pervertit recentior coniectura *Quae, vae, etiam nostro*, quam qui protulit non cogitavit in *vae* interiectione elisionem admitti posse plane nullam. itaque his et similibus commentis non emendatur carmen, sed pro futilibus substituuntur futilia. et tamen prope afuerunt a veritate qui in postremis mendosis litteris *et id latere etiã* putarunt: nam *etiam* paene requirimus. quod cum obscuratum esset depravatione, in ceteras quoque litteras labes sua sponte illata est. assumpto igitur *etiam* omnia hoc modo restituo,

Quare etiam nostro letum miserabile fratri Attulit.

concinnum mihi videtur *quare*: nam et hic apte et simpliciter, id est more Catulli, conecit orationem, et simul revertitur poeta ad antecedentem (v. 49 ss. p. 62, 3 ss.) consimilem fraternae mortis commemorationem, quem ad modum digrediendo et commode regrediendo totum carmen perficit. *) praeterea ne cui debile videatur *quare*, eodem vocabulo Catullus frequenter usus est. in recta oratione causalis coniunctio invenitur p. 1, 9, 4, 10, 8, 3, 12, 1, 18, 19, 20, 27, 23, 13, 30, 6, 37, 15, 48, 19, 54, 15, 62, 11, 66, 7, 30, 67, 15, 70, 14, 75, 3, 76, 13. [*carm.* 1, 8, 6, 15, 12, 10, 21, 12, 35, 7, 39, 9, 44, 16, 61, 26, 62, 16, 64, 192, 372, 68, 27, 147, 69, 9, 72, 5, 76, 10, 107, 3, 114, 5]: praeterea in interrogatione p. 13, 8, 71, 12, [*carm.* 23, 15, 89, 4.] atque in suspensa ex alio oratione p. 66, 21, 69, 19, 71, 14. [*carm.* 69, 1, 80, 1, 85, 1.]

Sed mirum plerisque et putidum videbitur quod addidi usum esse Catullum illo vocabulo. scilicet addidi hoc propterea quod observavi non eandem esse omnium poetarum in eius usu

*) [Edidit Hauptius Heinsianum *quaene etiam in scholis ita explicatum*. Nicolaus Heinsius *verbesserung quaene etiam* habe ich fãlschlich gemisbilligt und *quare etiam* vermutet, das angienge; aber Heinsius *verbesserung* ist viel besser und das richtige. denn *quine* ist nicht bloss gleich *isne qui*; sondern, da *ne* zuweilen gleich *nonne* ist, so ist *quine* auch so viel als *quidni qui* gleich *quippe qui*, z. b. Terentius Ad. 261 *illius opera, Syre, nunc vivo: festivum caput, Quine omnia sibi post putavit esse prae meo commodo.*]

consuetudinem. Lucretius quidem, qui in deligendis vocabulis saepe non magis quam Catullus a quotidiano sermone recessit, non raro dixit *quare*. similiter Horatius in sermonibus (1, 2, 77. 2, 3, 176) non abstinuit a causali *quare* in recta oratione posito pro eo quod est *propterea* (nam interrogationem et indirectam quae dicitur orationem hic non respicio), abstinuit in epistolis, atque in carminibus *quare* plane nusquam ab eo dil-⁴³ctum est. deinde apud Propertium, praeclarum poetam, sed qui inculto sermone non nunquam utitur, saepius invenitur, veluti 1, 5, 31. 9, 33. 19, 25. 3, 16, 7. 55. 24, 9. multo elegantior sermo est Tibulli: itaque *quare* nunquam dixit, sed Lygdamus dixit 4, 49. similiter *etenim*, quod Lachmannus animadvertit, Tibullus prosae orationi reliquit, usurpavit Lygdamus 4, 14. non multum differt a Tibullo Vergilius, apud quem tantum quinquies, si bene memini, *quare* invenitur, sed in eadem dicendi formula, *Quare agite* ge. 2, 35, Aen. 4, 627. 7, 130. 8, 273, *Quare age* 7, 429. manifestum est autem in frequenti formula excusationem positam esse multiplicem. veluti in carmine ad Calpurnium Pisonem nullam inveniri elisionem accurata observatione docuit Carolus Lehrsius quaest. ep. p. 305, nisi quod semel v. 259 illud *Quare age* apparet. nam quod idem Lehrsius ad elisionem refert *necesse est* v. 14, nulla est elisio, sed inclinatur verbum et abiecta vocali littera cum antecedente vocabulo coniungitur, *necessest*. exile monitum, fateor: sed non caret tamen utilitate. nisi enim antiquam hanc *est* inclinandi rationem tenemus, videbitur Lucretius genitivi casus in *ai* exeuntis ultimam litteram elisisse in his verbis 3, 624, *si immortalis naturae animae est*: sed imperite ita scribitur pro eo quod posuit *animaist*. nam quod eiusdem libri tertii v. 375 legitur *Nam quom multo sunt animae elementa minora*, scripsisse videtur poeta *animae* cum hiatu, Lucretii quoque carmen non adverteretur regulae a Naekio demonstratae. sed etiam a formula illa dicendi *Quare age*, *Quare agite* plane abstinuit Ovidius*) nam etsi in recta interrogatione habet *quare* her. 17, 428. 21, 455, am. 2, 5, 8, a. a. 2, 531, met. 2, 664, fast. 1, 449, trist. 2, 286, et suspensum ex alio her. 3, 115. 15, 5. 21, 209. rem. 161. 693, met. 2, 512. 4, 285. 14, 316, fast. 3, 259. 725. 771.

*) [Ovidio Hauptius quamvis dubitans epistulas adscripsit donec Lachmannus ei rationes suas persuasit.]

4, 145. 357. 878. 942. 5, 334. 6, 475, trist. 2, 294. 3, 3, 4. 5, 1, 61, ex P. 2, 9, 23, tamen causali *quare* pro eo quod est *propterea* nunquam usus est, sed praetulit ergo, ut Horatius et Vergilius, utpote quod minus ieiunum erat forma et significatione. hinc efficitur non recte obtemperatum esse N. Heinsio ep. ex P. 3, 1, 65 *Quare* scribenti ex uno libro, cui pauci accedunt, cum in plerisque oratio sic procedat rectissime, *Utque favere reor*
 44 *plures virtutibus istis, Sic tua non paucae carpere facta¹ volent. Quarum tu praesta ne livor dicere possit 'Haec est pro miseri lenta salute viri.'* in interrogatione et ubi suspensum erat ex alia orationis parte *quare* devitari non potuit, quoniam *cur*, brevior eiusdem vocabuli forma, versui non semper satisfaciebat.

Alter Catulli versus de quo quae commentatus essem me prolaturum antea professus sum in elegia Callimachia legitur (carm. 66, 57 ss. p. 58, 49 ss.). narratur ibi struthiocamelus Veneris Arsinoes ales equus (nam haec expedit Vincentius Montius) sustulisse votivam Beronices*) comam et in deae gremio collocasse. deinde sic pergitur

*Ipsa suum Zephyritis eo famulum legarat,
 Graia Canopiis incola litoribus.
 Hi dii veni ibi vario ne solum in lumine caeli
 Ex Ariadneis aurea temporibus
 Fixa corona foret, sed nos quoque fulgeremus
 Devotae flavi verticis exuviae,
 Uvidulum a fluctu cedentem ad templa deum me
 Sidus in antiquis diva novum posuit.*

quorum versiculorum tantummodo tertium menda continere existimo. nam *Graia* praeclare scripsit Lachmannus, alia Itali bene correxerunt. existimo enim ubi libri partim *Viridulum* partim *Vindulum* habent verissime eos *Uvidulum* scripsisse.**)

*) [Significabat ita *Hauptius*, traditam esse *Beroniceo* non *Bereniceo* 68, 8, abstinuit tamen in editione a forma plebeia, rationesque in scholis hasce attulit: auf *Beroniceo* führt die entstellung der handschriften und die nachahmung dieses verses in der lateinischen anthologie 3, 472, 8. Niebuhr kl. schr. 1, 237 bemerkt dass *Βερονίχη* eine makedonische form sei. diese vulgärform ist häufig in den handschriften, griechischen wie lateinischen, und sie ist im namen *Veronica* erhalten. aber Callimachus brauchte sie gewiss nicht in seinem gedichte (sie ist auch bei dem scholiasten zum *Aratus* 446 nicht überliefert), und schwerlich Catullus.]

**) [Edidit *Hauptius* ex eorundem coniectura *uvidulam* a *fletu*.]

sidus recte dicitur, etsi interpositum est feminino genere *cedentem me*. praeterea deminutive dictum *uvidulum* cum consuetudine Catulli admodum congruit. afferam omnia, non pauca numero, deminutiva adiectiva quibus Catullus usus est, haec, *albulus* p. 15, 18, [*carm.* 29, 8], *aridulus* 52, 23, [64, 316], *aureolus* 1, 26. 34, 24, [2, 41. 61, 167], *eruditulus* 28, 12 [57, 7], *floridulus* 35, 17, [61, 193], *frigidulus* 46, 18, [64, 131] quod a Catullo sumpsit simius eius in Ciri 251. 348, *imulus* 14, 2, [25, 2], *integellus* 9, 24, [15, 4], *lacteolus* 27, 23, [55, 17], *misellus* 2, 13. 18, 26. 24, 10. 24, 9, [3, 16. 35, 14. 40, 1. 45, 21], *molliculus* 10, 13. 17, [16, 4. 8], *mollicellus* 44, 10, [25, 10], *pallidulum* adverbialiter dictum 55, 28, [65, 6], *parvulus* 36, 10, [61, 216], *perlucidulus* 66, 24, [69, 4], *tenellulus* 11, 8, [17, 15], *turgidulus* 2, 15, [3, 18], *turpiculus* 21, 20, [41, 3], *vetulus* 14, 19, [27, 1], tum, quorum paulo diversa ratio est, *tinnulus* 29, 23 [61, 13] et quod saepius dixit *tremulus*. in illo autem mendoso versiculo libri partim habent quod supra posui, partim *Ni dii ven ibi vario ne*, partim *Hi dii ven ibi vario ve*, in Dati codice *ven* omissum est spatio¹ relicto. quibus coniecturis emen-
 15
 dationem moliti sint homines docti enarrare nihil attinet: nam frustra laborarunt, ut recte Lachmannus omnia eorum commenta pari silentio praterierit. equidem abhinc annis compluribus suspicatus sum scripsisse Catullum *Siderei vario ne solum* et quae sequuntur, videbaturque mihi hoc adiectivum esse aptissimum. quare non mediocriter in hac opinione confirmabar, cum vidi paene similiter conicere eum virum cui in arte nostra plurimum tribuere soleo. nihilo tamen minus ista coniectura videtur non posse probari. neque enim attentandum esse existimo *ibi*, Catullianum, ut vidimus, vocabulum et ut oratio cohaereat necessarium: nam nisi *ibi* poeta scripsisset, copulativam coniunctionem posuisset. itaque tantum circa has litteras *Hi dii ven* divinando versari debemus. in quarum extrema parte latere mihi videtur genitivi alicuius *ei* id est *i*, quem ad modum *carm.* 22 (p. 12, 8) pro plurali *novei* scriptum est in libris *novem* aut *nove* et similiter alia apud Catullum non pauca. quaerendum est autem adiectivum aliquod quod ad caelum recte pertineat, quale illud erat *siderei*. quae cum ita sint, invenisse mihi videor aptum et antiqua litterarum forma codicum mendis satis simile vocabulum. scripsisse enim puto Catullum

Arduei ibi vario ne solum in lumine caeli.

similiter *arduus aether* dictus est ab Ovidio met. 1, 451 et ex P. 2, 8, 61, nec multum differt inter haec et *ardua astra* Vergilii Aen. 12, 892, quem cur potius novasse hunc vocabuli usum credam quam ab antiquiore poeta sumpsisse nihil video causae. denique cum altitudinem caeli Catullus commemorat, vocabulo utitur minime supervacaneo, sed simul in additam caelo comam Beronices verborum magnificentia redundat.

III

Tres emendare studui Catulli versiculos, et ita quidem omnes ut productam litteram vocalem cum brevi concurrere facerem, *te ibi, quare etiam, ardui ibi*, minus eleganti, ut apparet, elisione. verum tamen hunc insuaviorem sonum non officere coniecturarum probabilitati facili negotio ostendi potest. in qua demonstratione simul exponam qualem aliorum poetarum
 46 in hoc genere elisionis consuetudinem fuisse animadverterim: sed tragicos comicosque poetas antiquos propter idoneas causas ab hac quaestione excludam. in herois igitur qui supersunt versibus Ennii quod semel tantum eius modi elisio inveniri videtur, in illo versu quem cum aliis Gellius servavit 20, 10 (legitur apud Merulam l. 8 v. 33 [*v. 275 Vahl.*]), *Miscent inter sese inimicitias agitantes*, utrum casui an arti cuidam poetae attribui dubito. Lucilius in leviori satirarum genere hanc elisionem sive rectius *συνεμφώνησιν* evitare non curavit. ut quam brevissime exempla proferam in libris fragmentisque indicandis Dousae numeros ascribere satis habeo. dixit igitur in incerto satirarum libro fr. 12 *Ergo oculis*, 34 *Uno oculo*, tum *Porro homines* 3, 8, *Galloni es homo* 4, 1, *Odi hominem* 4, 11, *Quo mea habeam pacto* et *Quando in eo numero* 5, 1, *Hyacintho hominem* 7, 7, *intro aliud* et *longe aliud* 9, 12, *Numi opus* 9, 20, *damnati alii omnes* 11, 2, *visuri alieni* 15, 5, *Scito etenim* 30, 5, *te asinumque* 30, 25, *Lanae opus* 30, 43. neque tantum in altera dactyli syllaba vocales litteras ita coniunxit, sed etiam in tertia, ubi eius modi *συνεμφώνησις* magis molesta est: dixit enim *sectatori adeo* inc. 6, *Ceteri item* 2, 1, *asperis Athones* 3, 6, *corpore honestum* 3, 16, *divortio aquarum* 8, 3, *improbae ineptae* 30, 1. in Ciceronis versibus semel tantum istius modi *συνεμφώνησιν* reperio, Ar. 87 *At propter se aquila ardenti cum corpore portat*, ut elegantiae

eum studuisse paene suspicer. certe supparem eius aetati Lucretium video non plane rudem fuisse in devitanda molestiore elisione. habet eam in vocabulis arte inter se cohaerentibus, *Aequo animo* 3, 944. 962. 5, 1119, quod in medio versu est 4, 42, *Longe aliam* 4, 446, *Longe alio* 5, 1065. 1070, *Longe alias* 5, 1084, *Magno opere* 4, 637, pro quo scriptum est*) *magno opere* 4, 714. 3, 105, ut *tantopere* 3, 188. 674. 688. 769. 910. 933. 4, 109. 5, 30. 380. 1056, et *summopere* 4, 1186, si tamen Lucretius haec divisit, nam Ciceronem certe utraque forma non usum esse promiscue, sed dixisse tantum *magno opere*, accurata antiquissimorum exemplarium consideratione exploratius percipitur quam et aliis visum est et Handio Turs. 3, 577. deinde non patiuntur dirimi apud Lucretium haec, *dimissa anima* 3, 356, *adempta anima* 3, 404, *Interclusa anima* 6, 1266, *bello animo* 4, 1190, *lacerato oculo* 3, 408, *cavati oculi* 6, 1194. in ceteris quoque quae deinde ponam exemplis inter coeuntes syllabas nihil fere est intervalli, nisi quod in hoc versu 3, 1033, 17 *Lumine adempto animam moribundo corpore fudit*, post *adempto* voce paulisper cessandum est, et similiter in his 2, 870, *Ex insensilibus, quod dico, animalia gigni*. itaque haec praeterea apud Lucretium inveniuntur istius elisionis exempla, *Commutari aliqua* — *ratione* 4, 593, *Dico igitur* 4, 42, *Dico animo nostro* 4, 884, *sopiti ubi* 3, 431, *Sese anima* 3, 574, *sese ita* 4, 886, *omnino aliena* 3, 821, *Multo igitur* — *minus* 3, 926, *Perturbari anima* 4, 930, *sed vero animalia* 4, 986, *Surgit amari aliquid* 4, 1134, *Desidiose agere* 4, 1136, *Nemo ut opinor* 5, 6; porro in quibusdam verbis verborumque formulis saepius hac elisione utitur, et maxime in initiis versuum, *Ergo animam* 3, 216, *Ergo animus* 3, 521. 4, 886, *ergo animus* 3, 184, *Ergo hominum* 5, 1430, *Quando aliud* 4, 263, *Quando ea saecula* 4, 467, *Quando hominem* 3, 546, *quando opus* 4, 206, *Porro hominum* 4, 1011, *porro hominum* 5, 156, *Porro aliud* 5, 833. 1278, *porro oculos* 3, 359, *porro oculi* 4, 299, *Quare in utraque* 4, 845, *Quare animum* 3, 470, *Quare etiam* 4, 701. 5, 153. 332. 376. 907, *Quare etiam atque etiam* 4, 295. 1049. 2, 243. 377. 1064. 3, 228. 576. 686. 4, 216. 290. 856. 1207. 5, 821. diphthongum

*) [Restituit Lachmannus ex codice binas ubique voces, nisi quod 5, 380, 1056 tantopere toleravit.]

nunquam hoc modo elisit et perraro monosyllabi vocalem, *Nec me animi fallit* 1, 136. 922. 5, 97, *Quod te imitari* 3, 6, *quoniam tu animo* 4, 1188, et quod huc referri potest *Quodsi in eo* 1, 234.*) denique in tertia dactyli syllaba hanc elisionem diligenter devitavit: nam 3, 941 s. rectius scribitur *cur amplius addere quaeris Rursum quod pereat male et ingratum occidat omne* quam quod Wakefieldius recepit *mali*, quod tantum abest ut magis sit elegans, ut arti poetae advesetur.

Multo minorem quam Lucretius, cuius versus immerito habentur inconditi, ut in aliis quibusdam rebus metricis ita etiam in hoc elisionis genere cautionem adhibuit Catullus. frequenter enim ea usus est et in omnibus carminum numeris et ut nulla admodum appareat elegantioris artis norma. in trochaeis dixit *peraeque et hic et ille* p. 4, 4 [c. 6, 9], *voluisti amare* 21, 17 [40, 8], *sinistra ut ante* 23, 26. 24, 5 [45, 8. 47], *gemelli utrique* 28, 11 [57, 10], in iambis *Fuisti in ultima — insula* p. 15, 22 [29, 12], *Egnati, opaca* 20, 9 [37, 19], *Nam risu inepto* 21, 4 [39, 16], *Veneris nimio odio* 39, 21 [63, 17], in dactylo habet *octo homines* 6, 14 [40, 20], *feci ego* p. 8, 28 [14, 4], *Paedicabo ego* 10, 10. 23 [16, 1. 14], *Ebriosa acina* 14, 22 [27, 4], *perdite amo* 23, 21 [45, 3], *si qua alia* 42, 23 [64, 16], *Certe ego* 47, 18 6 [64, 149], *Quare agite* 54,¹ 15 [64 372], *studioso animo* 76, 23 [146, 1]), et, si recte conieci, *Quare etiam* 64, 12 [68, 91], *Utro ego* 62, 24 [68, 40], *Immo etiam* 67, 22 [73, 4], *Odi et amo* 69, 19 [85, 1]: ab elegantissimis tantum glyconeis hanc elisionem exclusit (nisi quod semel in primo pede admisit *virgo ades* p. 34, 28 [c. 61, 77]) et a sapphicis carminibus. deinde elisit diphthongum, *Libyssae arenae* p. 4, 15 [7, 3], et delitescere fecit monosyllaba, *te adibit* p. 5, 10 [8, 16], *fugit te, inepte* 7, 27 [12, 4], *Odissem te odio* 8, 27 [14, 3], *at te ego certe* 57, 17 [66, 25], *Quin tu animo* 70, 15 [76, 11], *in se habet* 76, 10 [114, 2], et ex mea quidem opinione *quae te ibi manet vita* p. 5, 9 [8, 15]. denique non evitavit molestiorem *συνεξφώνησεν* in tertia dactyli syllaba, *Argutatio inambulatioque* p. 4, 6 [6, 11], *perdito amore* 74, 22 [91, 2], *ploxeimi habet* 72, 28 [97, 6], et *Ardui ibi* p. 58, 21 [66, 59], si recte suspicatus sum. potest fortasse etiam huc referri quod dixit p. 69, 20

*) [Exempla ab Hauptio ommissa supplevit Lachmannus ad *Lucr.* 1, 4094.]

[85, 2] *sentio et excrucior*: quanquam o litteram qua prima verbi persona terminatur post brevem syllabam corripuit Catullus in *dabo* p. 8, 24 [13, 11], in *volo* p. 11, 1. 16. 18, 17. 36, 10 [c. 17, 8, 23. 35, 5. 61, 216], et, ubi ex communi more fit, in *nescio* p. 1, 19. 3, 29. 26, 25 [c. 2, 6. 6, 4. 53, 1.].

Post Catullum Horatius in sermonibus non multo diligentior fuit quam vetus satirarum scriptor Lucilius: in epistolis, quarum paulo rotundiores sunt numeri, aliquanto rarius longam vocalem cum brevi copulavit. ascripsi exempla, *Contra alius* sat. 1, 2, 30, *quanti olus* 1, 6, 112, *Vidi egomet* 1, 8, 23, *divina mota anus urna* 1, 9, 30, *Quali igitur* 2, 2, 63, *aequo animo* 2, 3, 16, *ergo ubi* 2, 3, 220 et in initio versus 2, 6, 16. 106, *Dixi equidem* 2, 5, 23, *quando ego* 2, 6, 60, *Sermo oritur* 2, 6, 71, *Quando ita* 2, 7, 5, *quando iterum* 2, 7, 69, *Esto alius* ep. 1, 1, 81, *plus aequo operata* 1, 2, 29, *demo et item unum* 2, 4, 46, *extremo in Aventino* 2, 2, 69. monosyllaba obscurantur hac elisione apud Horatium in his, *Quid mi igitur* sat. 1, 1, 101, *ignoras te an ut* 1, 3, 22, *hoc si erit in te* 2, 3, 41, *subito te agat* 2, 7, 24, *praestabo me etiam* ep. 1, 7, 24, *aequum mi animum* 1, 18, 112. denique in ultima dactyli syllaba eandem elisionem non respuit. dixit enim *tantuli eget* sat. 1, 1, 59, *anulo equestri* 2, 7, 53: nam huc non pertinent *occupo*. at ille sat. 1, 9, 6, *curo et rogo et omnis in hoc sum* ep. 1, 1, 11, *Obsecro et obtestor* 1, 7, 95. in arte poetica, nisi quid me fugit, ab omni eius modi elisione abstinuit. etiam a carminibus, ut par erat, eam alienam esse putavit. quare ter tantum invenitur, in tertii libri carminibus quarto et quinto, quae paene eodem tempore, h. e., ut Carolus Frankius reiectis vulgaribus erroribus¹ recte demonstravit, circiter annum a. u. c. 728, scripta sunt. in priore carmine dixit Horatius v. 17 *Ut tuto ab atris corpore viperis Dormirem*, et 31 *Tentabo, et arentis arenas*, in posteriore v. 21 *arma — Derepta vidi, vidi ego civium Retorta tergo brachia libero*: sed hoc ipsum *vidi ego* paene solemnem dicendi esse formulam ex eis apparebit quae de Tibulli Propertii Ovidii consuetudine postea dicam. praeterea in vulgatis quibusdam exemplaribus hanc elisionem continet carmen tertium libri alterius, ubi sic scripserunt non nulli inde a versu 9, *Quo pinus ingens albaque populus Umbram hospitalem consociare amant Ramis, quo et obliquo laborat Lympha fugax trepidare rivo, Huc vina — ferre*

iube: verum quin non recte haec scripta sint equidem plane non dubito. nam *quo* illud prius etsi excusari quodam modo potest quadam subsequenti *huc* adverbii anticipatione, sano tamen iudicio et prudenter Bentleius *qua* ascivit quod in codicibus suis Lambinus invenerat. in altero autem *quo* magna est librorum turba. quorum alii hoc ipsum *quo* habent, alii *qua*, alii *quid*, alii *quo et*, in aliis denique scriptum est *quoque*. itaque qui plus sibi sapere videntur Bentleio et codicibus firmissime adhaerescere student gratum mihi fecerint, si dicant qualem hic esse existiment veterum exemplarium auctoritatem. modo ne idem probent quod placuit Orellio, *Ramis, quo et obliquo* et quae sequuntur. nam ut non urgeam ingratum esse sonum etiam propter similiter cadentia *quo* et *obliquo*, eandem quam in ceteris carminibus diligentissime vitabat elisionem hic in inutili vocabulo admittere nulla hercle poetae ratio erat, et quod dicit Orellius *quo obliquo* agnoscere iam Porphyrionem, equidem non intellego. contra apertum est fieri potuisse ut inutile illud sed aptum ad sententiam *quo* ultro a librariis insereretur. quod non videtur esse in codicibus, sed recentiore coniectura inventum, *Ramis, et obliquo*, hoc ego quoque respuo, cum ex librorum mendis, praesertim ex illis *quid* et *quo et*, Bentleius *que et* elicuisse videatur rectissime. sed quod scribendum coniecit *Qua pinus ingens albaque populus Umbram hospitalem consociare amant Ramosque*, non possum ei amplius assentiri: nam *ramosque* sic adiecto verba exiliter exanimata exeunt. quocirca videtur mihi Horatius *que et* particulis tota enuntiata coniunxisse et scripsisse hoc modo, *Qua pinus ingens albaque populus Umbram hospitalem*
 20 *consociare amant Ramisque et obliquo laborat Lympha fugax trepidare rivo.**) certe hoc subesse puto in depravatione codicum: etenim quid scripserit ipse Horatius in carminibus a Mavortio ut potuit scilicet emendatis equis est qui iure iurando affirmet?

Vergilius, ad quem disputatione mea pergo, vocales longam et brevem haud raro collisit in primo versus pede, *Ergo age* Aen. 2, 707, *Ergo agite* 3, 444. 5, 58, *Ergo aderat* 9, 407, *Ergo alacris* ecl. 5, 58, Aen. 5, 380, *Ergo apibus* ge. 4, 439, *Ergo avidus* Aen. 3, 432, *Ergo avidum* 9, 664, *Ergo eadem* 8,

*) [Edidit Hauptius *quo pinus — ramis? quid obliquo laborat lympha fugax trepidare rivo?*]

382, *Ergo iter* 6, 384. 7, 467. 8, 90, *Ergo ubi* Aen. 3, 237. 4, 474, *Certe equidem* ecl. 9, 7, *Immo age* Aen. 1, 753, *Immo ait* 11, 459, *Immo ego* ecl. 7, 41, Aen. 9, 257, *Immo ubi* 9, 98, *Quando aliter* 9, 497, *Quando aliud* 4, 315, *Quare age* 7, 429, *Quare agite* ge. 2, 35, Aen. 1, 627. 7, 130. 8, 273, *Ultero animos* 9, 127, *Ultero Asiam* 2, 193, *Supra homines* 12, 839, *Fando aliquod* 2, 81, *Ambo animis* 11, 291, *Illi etiam* 2, 420, *Uni odiusque viro* 10, 692, *Cedo equidem* 2, 704, *Credo equidem* 4, 12. 6, 849, *Mitto ea* 11, 256, *Spero equidem* 4, 382, *Vivo equidem* 3, 315, *Ibo animis* 11, 438, *Vidi egomet* 3, 623, *Vidi Hecubam* 2, 501, *Vidi oculos* 12, 638. sed etiam in medio versu non spremit hanc incommoditatem, habet enim *ergo age* ge. 1, 63, *ergo animis* Aen. 3, 250. 10, 104, *ergo animos* ge. 3, 100, *conversi animi* Aen. 2, 73, *Instaurati animi* 2, 451, *turbati animi* 8, 4. 11, 451, *concussi animi* 9, 498, *placati animi* 11, 300, *Improvisi aderunt* 2, 182, *Inconsulti abeunt* 3, 452, *conixi umeris* 5, 264, *praemissi equites* 9, 367, *extemplo avidusque* 6, 210, *responso animum delusit* 6, 344, *genitori Amyco* 10, 704, *Pugnatori operit* 11, 680, *dat sese acies* 12, 227, *Se signari oculis* 12, 3, *cedo equidem* 12, 818, *linquo acies* 12, 875, *Semina vidi equidem* ge. 1, 193, *respexi animumve* Aen. 2, 744. monosyllaborum vocabulorum vocales raro sic elisit, *Nec me adeo* Aen. 4, 96, *et te animo* 12, 439, *In te oculos* 12, 657, *et si adeo* 11, 369. deinde minus diligens Lucretio non abstinuit ab *ae* diphthongi elisione, *Cetera nec feturae habilis* ge. 3, 62, *At cantu commotae Erebi de sedibus imis* 4, 471, *antiquae ab origine gentis* (si tamen recte sic scribitur)*) Aen. 1, 642, *Ornatus Argivae Helenae* 1, 650, *Et Sacrae acies* 7, 796, *Concurrunt Tyrrhenae acies* 10, 691, et bis in uno versiculo, 12, 548, *Totae adeo conversae¹ acies*. sed in tertia dactyli 2^a syllaba ne Vergilius quidem ut neglegentior esset sibi permisit.

Paene maior quam Vergilii eatenus diligentia fuit Propertii ut in primo maxime versus pede nec nimis saepe vocales ita elideret. carminum et versuum numeros pono eos quibus in altera editione Lachmannus usus est. dixit igitur *Ergo ego* 4, 21, 17, *Ino etiam* 3, 28, 19, *Vidi ego* 1, 13, 14. 15. 5, 2, 53. 5, 5, 59. 65, *Dixi ego* 5, 1, 89, *Odi ego* 4, 8, 27, *Sensi ego* 5, 7, 36, et in medio versu *respondi ego* 5, 8, 81, *Baccho et*

*) [Edidit Hauptius antiquae.]

Apolline 4, 2, 7, *longe erat* 5, 1, 36 (nisi Puccii excerptis fides habenda videatur, *Hac, ubi Fidenas longa erat ire via*). utrum pertineant huc talia qualia haec sunt, *Celo ego* 5, 7, 70, *Credo ego* 3, 24, 44, 42, *Iure ego* 5, 7, 51, *Flebo ego* 4, 25, 7, *Nemo adeo* 4, 16, 14, *nemo in amore* 3, 14, 18, an non pertineant, dubitari potest: certe paullo levior in his sonus, nam *findo* dixit correpta posteriore syllaba 4, 9, 35. *) monosyllaba haec habet *At tu etiam* 3, 18, 19, *At me ab amore* 3, 25, 9, *In te ego* 3, 20, 11, *Scribant de te alii* 3, 11, 1. diphthongum nunquam cum brevi syllaba coniunxit: num in tertia dactyli syllaba eius modi elisionem productae vocalis admiserit dubium videri possit. nam cum dicit 3, 26, 18 *Qui, puto, Arioniam vexerat ante lyram*, pyrrhichius est *puto*, ut *volo* 3, 10, 9. sed 3, 32, 5 Muretus, ut videtur, scripsit *Curve te in Herculeum deportant esseda Tibur*: in Groningano codice legitur *Cum vatem*, in Neapolitano *Curva te*, ut quaeri certe possit num scripserit Propertius *Curve te Herculeum*, an hiatus praetulerit minus suavem elisionem.

Verum ante Propertium multo diligentior in hac re fuerat Tibullus. apud quem tantummodo hae inveniuntur eius modi elisiones, *Vidi ego* 1, 2, 89 et *Illi etiam* 2, 4, 44: nec distat ab eius diligentia imitatio Lygdami, in cuius carminibus semel tantum legitur *Quare ego* 4, 49, communem autem habet cum utroque artem Ovidius. sed prius quam de Ovidio dicam non videtur praetereundum esse quod etiam in Gratii cynegeticis nihil eius modi invenitur praeter *Ergo age* 140, *Ergo ubi* 246, *Ergo in opus* 337, et Vergiliano more dictum *Inconsulti homines* versu 4.

Ovidius igitur, egregius versuum faciendorum artifex et melior etiam futurus si paulo minus curavisset ut aequaliter fluerent numeri, cum omnino cautus est in elidendis vocalibus, tum¹ praecipue productarum et correptarum συνεξφώνησιν non temere usurpat. nam et raro apud eum invenitur et in diphthongis aut in tertia dactyli syllaba nusquam et paene nusquam in monosyllabis, deinde ea sese lege astrinxit ut hanc elisionem sive rectius συνεξφώνησιν in primo versus pede concluderet, quippe ubi propter gravius incipientium numerorum pondus asperior sonus magis delitesceret, denique habet eam maxime in certis quibusdam verbis et verborum tanquam formulis. conquisivi haec ex-

*) [*Versum corruptum cruce notavit Hauptius.*]

empla, *Certe ego* her. 4, 115. 49, 81. 24, 211, am. 1, 6, 49, rem. 781, met. 8, 99. 13, 839, fast. 4, 725. 727, trist. 4, 5, 43, ex P. 4, 6, 11, Ib. 129, *Ergo age* a. a. 4, 343. 2, 443. 498. rem. 289, fast. 4, 83, *Ergo ades* am. 3, 1, 66, fast. 2, 17, *Ergo alii* ex P. 3, 3, 105, *Ergo aliis* met. 13, 619, *Ergo amor* am. 4, 6, 37, *Ergo animi* fast. 3, 449, *Ergo ego* her. 40, 449. 47, 435. 48, 483, am. 4, 2, 49. 4, 3. 7, 11. 12, 27. 2, 7, 4. 3, 44, 9. 44. met. 7, 51. 9, 182. 513, trist. 3, 3, 25, ex P. 4, 44, 17, *Ergo eat* a. a. 4, 455, *Ergo erat* trist. 3, 2, 4, *Ergo erit* a. a. 4, 243, *Ergo etiam* am. 4, 15, 44, *Ergo hominum* trist. 2, 87, *Ergo opera* met. 513, 174, *Ergo operum* met. 13, 159, *Ergo ubi* a. a. 4, 565, rem. 136. 399, met. 4, 177. 433. 2, 640. 3, 279. 370. 4, 222. 380. 6, 749. 8, 627. 12, 35, fast. 4, 311, trist. 3, 9, 19. 40, 15, ex P. 4, 4, 23, *Contra ego* met. 9, 46, *Immo ita* met. 7, 512, trist. 4, 2, 99. 3, 44, 7, *Quando ego* her. 4, 11. 13, 115, am. 3, 44, 47, *Quando erit* her. 7, 49. 43, 447, *Tanto ego* met. 13, 368, *Aequo animo* am. 2, 7, 42, *Mundi oculus* met. 4, 228, *Novi aliquam* am. 2, 47, 29, *Sumpsi animum* fast. 4, 447, *Vidi ego* am. 4, 2, 44. 2, 2, 47. 12, 25. 3, 4, 42. 44, 43, am. 3, 487, rem. 404, met. 12, 327. 15, 262, trist. 2, 443. 3, 4, 37. 5, 44. 5, 8, 44 (ubi certissima coniectura inventum est *Vidi ego naufragium qui risit in aequore mergi*, nimis enim subtilis hic est Merke- lius, at parum Loersius), ex P. 4, 4, 54, *Vidi etiam* her. 12, 94, *Vidi iterum* met. 44, 483. non verum videtur quod de Tarpeia hodie legitur met. 44, 777 *Digna animam poena congestis exiit armis*, quoniam nihil plane simile apud Ovidium invenitur, exuendi autem verbum ne aptum quidem est ad sententiam (nam Statius Theb. 40, 938 paulo tamen aliter dixit), sed probo quod in libris scriptum est non paucis *Dignam animam poenae*: deinde *edidit* scribendum esse videtur cum plerisque codicibus, nam²³ *expuit*, quod mihi aliquando in mentem venit, non videtur decere Ovidium. monosyllaba, ut dixi, Ovidius perraro ista elisione obscuravit. inveni haec pauca, *Per te ego* am. 2, 40, 3, *In te ego sum* (si recte ita scribitur*) met. 3, 463, *Nec tu aliud* fast. 6, 285, denique *in me acui* met. 15, 776, remotum sane ab initio versus, sed post interpunctionem: quanquam sic quoque ra-

*) [Edidit Hauptius iste ego sum secundum codicem Hamburgensem.]

rum est. nam quas praeterea apud Ovidium indagare potui extra primum pedem istius modi elisiones incertae sunt et admodum paucae numero. *certe ego* her. 20, 180: sed ne commemorem posteriores sex epistolas non certo esse Ovidii, positum est illud *certe ego* post pentametri versus caesuram, ubi veluti novo initio numeri inchoantur. met. 7, 172 dictum est in medio versu *ergo ego*, sed post interrogationem: accedit quod *ergo* vocabuli posteriorem syllabam Ovidius bis corripuit, her. 5, 59 et trist. 1, 1, 87. similiter si legitur met. 12, 407 *et amando et amare fatendo*, attendendum est dixisse poetam her. 9, 126 *tegendo* correpta postrema syllaba: nam hic sane Loersius recto iudicio usus est. quapropter nunc demum commemoro positum in initio versus *Fando aliquem*, met. 15, 497. deinde met. 15, 528 etsi bene dictum est *Exhalari animam*, tamen nec omnes libri hoc habent nec defendi fortasse nequit neutrale *exhalare*: quanquam minime me fugit paulo aliter sese habere qui propter hunc usum afferri solent versus Lucretii 3, 433 et Statii Theb. 10, 108. tum distichon illud tristium, 5, 10, 40 s., *Utque fit, in me aliquid, si quid dicentibus illis Abnuerim, quoties annuerimque, putant*, hos igitur versus vereor ne contra Heinsii suspicionem non satis defenderit Merkelius et multo minus Loersius. denique met. 6, 655 ss. haec leguntur de Tereo, *circumspicit ille Atque ubi sit quaerit. quaerenti iterumque vocanti — Prosilii Ityosque caput Philomela cruentum Misit in ora patri*: verum hic quaerenti iterumque vocanti non videtur esse verum, neque vero quod Heinsius, cum in libris non nullis vetustis *Itymque* invenisset, scribi iussit *Itylumque*, quod non magis quadraret, sed illud ipsum *quaerenti Itynque vocanti* pulcrum esse videtur neque offendet me hiatus.*) (adde met. 4, 445 *antiquae imitamina vitae*. quod legebatur 15, 217 *materna habitavimus alvo* a probis coedicibus alienum est.)

Ultra Ovidium, ne nimis molestus sim, non progrediar hac disputatione: quanquam de ceterorum quoque poetarum consuetudine quaedam dicere possum scitu non inutilia. ut unum commemorem, qui in silvis atque in Thebaide illa de qua satis
 24 exposui elisione non raro usus fuerat Statius, idem in utroque Achilleidis libro studiose eam devitavit. ceterum fieri non potuit

*) [Edidit Hauptius quaerenti iterumque vocanti.]

quin in tam pusilla quaestione oculorum aciem hic illic aliquid falleret, nec propter hanc unam causam poetarum carmina perlegi: sed singuli aliquot errores summis rerum multum obesse non poterunt.

IV

Ex his igitur minutis rebus (nisi quod in arte grammatica aut nihil parvum est aut magnum nihil) ad alia libenter transeo et quasi emergo. etsi enim quod apud Gellium verissime ait Probus Valerius, si versum pangas, non finitiones praerancidas neque foetutinas grammaticas spectandas esse, sed aurem interrogandam, ad nos qui sero vivimus ita pertinet ut inquirendum nobis sit quid placuerit auribus veterum poetarum, quid displicuerit, tamen in graviore paulo aut certe minus ieiuna disputatione operam nostram iucundius collocabimus. quare ad Catullum revertor, cuius octavum carmen emendare antea conatus sum. proximum carmen et decimum Lachmannus ita constituit ut nihil habeam quod addam: nam in decimo non L. Varium, familiarem Horatii, commemorari, quae opinio fallaci specie nuper fucata est, sed Varum, ut recte intellexit Lachmannus, et quis ille fuerit Varus, rectius expositurus esse mihi videor in alio libello, in quo de vita et carminibus Catulli disseram.*) sed undecimo carmini emendationem quam postulat afferre fortasse possum. de quo carmine qui subtiliter disputavit Augustus Ferdinandus Naekius, in indice scholarum in academia Bonnensi inde ab auctumno anni 1823 habitaram [op. I 404], scite demonstravit qua mente Catullus tam luculentum tamque magnificentum poema, sed quod conceptam gravitatis opinionem subito destituit, condidisse existimandus esset. scilicet splendida longin quarum regionum enumeratione, in quas sese secuturos dicit Furium et Aurelium, importunam esurientium homunculorum assiduitatem irridet, et cum omnia quaecunque ferat voluntas caelitem tentare simul parati sint miseri famelici, nihil magnopere arduum ab eis postulat, sed ut Clodiae nuntient pauca non bona dicta. verum illa quam dixi splendida remotissimarum regionum enumeratio ita terminatur in codicibus (p. 7, 8 ss.) ut a Catullo scripta esse non potest.

*) [Turnebum (adv. 27. 26.) secutus Hauptius carm. 10 et 50 ad P. Alfenum Varum Cremonensem iureconsultum et poetam rettulit.]

25

¹*Sive trans altis gradietur Alpes,
Caesaris visens monumenta magni,
Gallicum Rhenum horribilesque ulti-
mosque Britannos.*

Intolerabilem in his esse hiatum neque hodie quisquam infitiabitur nec defuerunt olim qui probe intellegerent. quae enim in codicibus quos Itali grammatici correxerunt variae inveniuntur horum verborum mutationes, eas omnes studium peperit hoc vitium removendi. sed vereor ne praeter hiatum in ipsa etiam oratione aliquid insit offensionis. nam solemnitas illa ultimorum appellatio quam plurimi poetae Britannis attribuunt, et ita quidem attribuunt ut nihil adiciant aliud, alterius illius vocabuli horribilium antecessione pondere suo paene privari videtur. sed molesta hac adiectivorum nominum geminatione nihil est offensus qui primus ut hiatum tolleret excogitavit quod in codicibus non nullis interpolatis legitur *horribiles et ultimosque Britannos*. verum haec versus reficiendi ratio, quam commendavit annotatione sua ad Prop. p. 289 et ascripsit ad Catulli versum Lachmannus et veram habuit Bentleyus, ad Hor. carm. 4, 35, 29, vel hanc ob causam merito probari nequit quod *et* particula tam invenuste interposita est inter *horribiles* atque *ultimos* vocabula ut ne illorum quidem quisquam unus poetarum qui saepissime copulativam particulam post eam vocem posuerunt cui proprie praeponenda erat ita eam fuisset collocaturus, multo autem minus Catullus, quem nunquam a legitima copulativarum coniunctionum colloca-tione discessisse, ne intempestiva digressionem disputationem nostram interrumpamus, strictim hic significamus, accurate eam rem atque copiose postea demonstraturi.

Sed peius est eorum inventum, libris quibusdam non sinceris proditum, qui servato priore *que* infererunt illud *et*, hoc modo, *horribilesque et ultimosque Britannos*. sic enim magis etiam praepostere traiecta est *et* particula, quae ad totam hanc enuntiatam partem pertinet. verum praeter particulam inepte collocatam haec versus conformatio alio incommodo laborat. nam ille duplicis adiectivi per duplicem *et* particulam coniuncti usus hac lege, nisi fallor, astrictus est ut utrumque adiectivum, quippe quo epexe-gesis quodam modo comprehenditur, post proprium nomen collocetur: quare neque Graeci dixisse videntur ἤν τε μέγαν τ' Ἀχάμαντα, sed, ut est apud Homerum, Ἀχάμαντ', ἤν τε μέγαν τε,

neque Latini *horribilesque ultimosque Britannos*. alia res est ²⁶ ubi utrumque adiectivum ad appellativum nomen accurate definiendum pertinet, ex quo genere est quod Martialis dixit 3, 27, *At tua, Cosconi, venerandaque sanctaque verba A pueris debent virginibusque legi*. atque omnino minime elegans esset horum adiectivorum coniunctio, quorum prius ad morum ferocitatem spectat, alterum regionis longinquitatem describit. nam in apte copulandis adiectivis veteres poetae Latini multo erant diligentiores quam quidam credere videntur interpretes. verbi causa in eis quae apud Horatium, *carm. 3, 3, 18 ss.*, Iuno eloquitur, *Ilion, Ilion Fatalis incestusque iudex Et mulier peregrina vertit In pulverem*, certe dubitari potest rettuleritne poeta fatalis vocabulum ad unum Paridem ita ut eum pariter diceret fatalem incestumque, an, quoniam alterum adiectivum cum altero non nimis accurate congruit, fatalis appellatio etiam ad Helenam, quae ad Troiae excidium non minus quam adulter a fato destinata erat, pertineat: non obstat saltem singularis vocabuli numerus, cum eodem numero quod sequitur *vertit* dictum sit.

Tamen tertio quoque quod Itali excogitaverunt complemento nihil praeter hiatum emendatur. fuerunt enim qui sic scriberent, *Gallicum Rhenum horribilesque in ultimosque Britannos*. id duplici modo explicari potest. aut enim totus hic versiculus e gradiendi verbo suspensus est aut interpositum esse censebimus Rhenum ita ut eius commemoratio coniungenda sit cum antecedentibus verbis *Caesaris visens monumenta magni*, separanda a Britannorum descriptione. prius si probas, quoniam *in* praepositio ea dicendi figura quam ἀπὸ τοῖνοῦ appellamus ad flumen referri nequit, existimandum erit Rheni nomen cum gradiendi verbo nulla addita praepositione coniunctum esse ea ratione qua accusativum casum eundi verba propter significationem eius atque naturam haud raro asciscunt. verum sic conformatae orationis aliqua esset insolentia. nam ad fluminum nomina, ut par esse videtur, additur *ad* praepositio. quod semel tantum neglectum memini, a Vergilio cum dixit *ecl. 1, 66 s. Pars Scythiam et rapidum Cretae veniemus Oaxen Et penitus toto divisos orbe Britannos*. sed ut hoc missum faciam, postquam dixit Catullus *Caesaris visens monumenta magni*, appositionem aliquam, quam grammatici appellant, adiectum iri quisque, opinor, sua sponte expectat. itaque hoc ipsum fortasse voluit qui isto modo versum

27 explevit:¹ Rhenum ad monumenta Caesaris rettulit, separavit eum a Britannis atque ita verba coniunxit, *Sive trans altas gradietur Alpes — horribilesque in ultimosque Britannos.* non adversaretur additus ad plurale nomen monumentorum singulari numero Rhenus: eadem enim numeri discrepantia a Propertio 5, 6, 17 mare Actiacum dicitur *Actia Iuleae pelagus monumenta carinae.* sed quis est quin sentiat quam male attenuetur oratio, si post splendida illa verba *Caesaris visens monumenta magni* nimis breviter atque exiliter adicitur *Gallicum Rhenum* statimque relicta hac verborum constructione ea quae sequuntur, *horribilesque in ultimosque Britannos*, e gradiendi verbo suspenduntur, quod verbum interposita Rheni commemoratione separatum est et quasi seclusum? praeterea cum constet uno eodemque ab urbe condita anno 699 Caesarem et Rhenum traiecisse et paulo post Britanniam attentasse, mirum esset nisi Catullus Rheni et Britannorum commemorationem ipsa verborum constructione coniunxisset. quid enim veri esse potest similis quam Britanniam quoque, qua Romanis aperta non minorem Iulius quam Rheno transmissio gloriam adeptus erat, communi poetam monumentorum nomine complexum esse?

Itaque quoniam videmus lenibus istis et quasi timidis particularum interpositionibus hiatum non sine detrimento orationis et sententiae resarciri, fortius aliquid audendum esse videtur quo integra carminis venustas restituatur. ac sensu quodam admoneri videor, praeter Rhenum et Britannos tertium hic requiri quod inter utramque regionem iacet, mare. quare haec dedisse Catullum suspicor,

*Sive trans altas gradietur Alpes,
Caesaris visens monumenta magni,
Gallicum Rhenum, horribile aequor, ultimosque Britannos.*

confirmator fit haec coniectura eo quod in libris non interpolatis Parisiensi et Laurentiano *que* non invenitur, sed scriptum tantum est *horribiles.* videtur igitur in antiquo illo codice, ad quem referenda sunt omnia quae habemus Catullianorum carminum exemplaria, *aequor*, quod restituendum esse arbitramur, aut scriptum fuisse ad cognoscendum difficilius aut ex parte oblitteratum, ut alii librarii *horribilesque* legere sibi viderentur, alii quod dispicere non poterant plane omitterent (cuius rei su-

pra vidimus exemplum in non intellecto *teibi*) et scriberent²⁸ horribiles.

Sed rationibus hanc emendationem eo accuratius stabilendam esse sentio quo plura ei non sine veritatis specie opponi possunt. nam si scribatur quod equidem scribendum esse conieci, diversarum regionum enumerationem, qua hoc carmen exorsum est, luculenta conclusione absolvi atque tanquam ante oculos sese nobis pulchre ponere Catullum, primum Alpes transgredientem, deinde ad Rhenum, tum ad mare Oceanum, denique ad ipsos ultimos in terrarum orbe Britannos longum iter continuantem, haec igitur facile aliquis concesserit, sed dixerit ipso Oceani vocabulo, si hoc voluisset, poetae utendum fuisse: verbi causa hunc versum facere eum potuisse, *Gallicum Rhenum Oceanumque et extremo orbe Britannos*: scivisse quid apte diceretur Lucanum, apud quem primus pilus Caesaris Laelius haec graviter loquatur 1, 369, *Haec manus, ut victum post terga relinqueret orbem, Oceani tumidas remo compescuit undas, Fregit et Arctoo spumantem vertice Rhenum*. ipse pergam arma subministrare adversariis. apud eundem Lucanum, 2, 568 ss., Pompeius dum milites suos alloquitur, in Caesarem acerbe et contumeliose his verbis invehitur, *multisne rebellis Gallia iam lustris aetasque impensa labori Dant animos? Rheni gelidis quod fugit ab undis Oceanumque vocans incerti stagna profundi Territa quaesitis ostendit terga Britannis?* recte quidem: nam quod Oceanum primus Romanorum classe navigavit insigne ad laudem Caesari erat. quare Plutarchus haec dicit Caes. 23 ἡ δ' ἐπὶ τοὺς Βρετανούς στρατεία τὴν μὲν τόλμαν εἶχεν ὀνομαστὴν· πρῶτος γὰρ εἰς τὸν ἐσπέριον Ὀκεανὸν ἐπέβη στόλῳ καὶ διὰ τῆς Ἀτλαντίδος θαλάττης στρατὸν ἐπὶ πόλεμον κομίζων ἔπλευσεν et quae sequuntur, et Eumenius pan. Const. 44, *ad hoc inquit natio etiam tunc rudis et solis Britanni Pictis modo et Hibernis assueti hostibus, adhuc seminudi, facile Romanis armis signisque cesserunt, prope ut hoc uno Caesar gloriari in illa expeditione debuerit quod navigasset Oceanum*, ubi non probo quod G. L. Walchius ad Tac. Agr. p. 209 proposuit *solis Britannis*. similiter alii scriptores cum de expeditione Britannica Caesaris loquuntur, Oceani vocabulo, ut par est, utuntur. in epitome Livii ab urbe condita libri 105 haec legimus, *Caesar — Rhenum transcendit — ac deinde Oceano²⁹ in Britanniam primo parum prospere tempestatibus adversis traiecit,*

*iterum parum felicius, apud Florum 3, 10 [I 45.] omnibus terra
 marique captis respexit Oceanum et quasi hic Romanis orbis non
 sufficeret alterum cogitavit, apud Valerium Maximum 3, 2, 23
 bello quo C. Caesar, non contentus opera sua Oceani claudere
 litoribus, Britannicae insulae caelestes iniecit manus, apud Senecam
 cons. ad Marciam 14 C. Caesar cum Britanniam peragraret nec
 Oceano felicitatem suam continere posset, audivit decessisse filiam
 publica secum fata ducentem. quid est igitur cur tamen Oceani
 vocabulo, quod aptissimum videtur et prope necessarium, Ca-
 tullum non putem esse usum, sed teneam illud horribile aequor
 meum? scilicet, ut dictum est in epitome historiarum Livii, in
 utraque expeditione Britannica Caesar adversa tempestate usus
 est. atque in prima quidem expeditione post diem quartum
 quam est in Britanniam ventum naves duodeviginti, quae equites
 sustulerant atque ex superiore quem dicit Caesar portu leni vento
 solverant, cum appropinquarent Britanniae subito coorta tem-
 pestate vehementer afflictas sunt. deinde, ut ipsius Caesaris
 verbis pergam, b. G. 4, 29, eadem nocte accidit ut esset luna
 plena, qui dies maritimos aestus maximos in Oceano efficere con-
 suevit: nostrisque erat incognitum. ita uno tempore et longas
 naves quibus Caesar exercitum transportandum curaverat quasque
 in aridum subduxerat aestus complebat et onerarias, quae ad
 ancoras erant deligatae, tempestas afflictabat neque ulla nostris
 facultas aut administrandi aut auxiliandi dabatur. compluribus
 navibus fractis reliquae cum essent funibus ancoris reliquisque
 armamentis amissis ad navigandum inutiles, magna, id quod
 necesse erat accidere, totius exercitus perturbatio facta est. cum
 autem proximo anno ab urbe condita 700 Caesar iterum in Bri-
 tanniam traicere vellet, primum in portu Itii cognovit quadraginta
 naves quae in Meldis factae fuerant tempestate reiectas cursum
 tenere non potuisse atque eodem unde erant profectae revertisse
 (b. G. 5, 5): cum ceterarum multitudine ad Britanniam feliciter
 accessit et hostes proxima nocte in fugam fudit. sed postridie
 cum persequi eos vellet, subito ei ab itinere desistendum fuit.
 nam, ut ipse narrat (5, 10), equites a Q. Atrio ad Caesarem
 venerunt qui nuntiarent superiori nocte maxima coorta tempestate
 30 prope omnes¹ naves afflictas atque in litore eiectas esse, quod neque
 ancorae funesque resisterent neque nautae gubernatoresque vim pati
 tempestatis possent: itaque ex eo concursu navium magnum esse*

incommodum acceptum. amissae erant circiter quadraginta naves (5, 11). denique cum in Galliam redire vellet et duobus com-
 meatibus exercitum reportare institueret, ex eis navibus quae
 inanes ex continenti ad eum remittebantur prioribus expositis
 militibus et quas postea Labienus faciendas curaverat, numero
 sexaginta, perpaucae locum ceperunt: reliquae fere omnes
 reiectae sunt (5, 23). itaque cum Oceanum magnificentius dicere
 posset Catullus, non minus graviter, sed pulchre *horribile aequor*
 dixit, quo periculosum mare describeret. id quod mihi quidem
 propemodum aptius factum esse videtur in hoc carmine quam
 si Oceani vocabulo usus esset. sic enim longum iter significaretur
 pariter atque in reliquis: sed qui potuit Catullus molestissimam
 Furi et Aurelii, nulla secum sincera amicitia coniunctorum,
 sed parasitorum, assiduitatem acerbius perstringere quam si
 paratos eos diceret ad suscipienda magna et cognita Romanis
 istis quas Caesar narravit calamitatibus pericula? at tam fidis
 tamque fortibus scilicet amicis subito, cum longe alia dictum iri
 expectamus, mandat ut cum aliquanto minore periculo Clodiae
 turpitudinis criminationem et mutatum eius culpa poetae animum
 renuntient.

Deinde si cui libitum fuerit esse faceto, aquosam appellare
 poterit hanc emendationem et negare verendum fuisse ne post
 Eoae undae et Nili limo suo aequora colorantis et Rheni com-
 memoracionem siccum videretur hoc carmen nisi plus aquae in-
 funderetur. cui facile responderi potest. nam ista omnia nil
 nisi longinquas regiones describunt, hic *horribile aequor* suum
 sibi habet pondus suamque acrimoniam.

Porro displicebit fortasse non nullis quod, postquam Catul-
 lus in antecedente stropha *aequora* commemorasset, iterum eum
aequor dixisse existimem. sed ut evitaverint plerique poetae
 Latini istius modi vocabulorum iterationem, tamen non omnium
 neque omni aetate eadem fuit diligentia. veluti summus copiose
 dicendi artifex M. Tullius Cicero, cum Aratia iuvenili studio
 conscriberet, mirum est quam saepe in eadem verba inciderit.
 etiam Lucretius eadem saepe vocabula repetit et non nunquam
 haud sane eleganter. unde versum aliquem eius non absurde³⁴
 reficere posse mihi videor. legimus hodie 2, 464 s. *Sed quod*
amara vides eadem quae fluvida constant, Sudor uti maris est,
minime mirabile quoiquam. verum quoiquam in nullo inventum

est manu scripto codice, quorum alii habent *debet alii habendum**): in Brixiensi exemplari pro eo plane nihil scriptum est. quare suspicor dedisse Lucretium *minime mirabile constat*, ut dixit 4, 898 *Nec tamen illud in his rebus mirabile constat*. omisso *constat* vocabulo (cuius rei causa manifesta est) varia versus complementa excogitata sunt. sed apud ipsum etiam Veronensem poetam, postquam dixerat *carm. 64, 12 (p. 42, 19) Quae simul ac rostro ventosum proscidit aequor*, duobus interiectis versiculis sequuntur haec, *Aequoreae monstrum Nereides admirantes*.

Maiore veri specie opponi possit huic quam emendationem habeo coniecturae, quoniam haec tria, *Gallicum Rhenum, horribile aequor, ultimos Britannos*, inter se sint aequalia et paria pondere, aut aequoris etiam vocabulum copulativa particula annectendum fuisse aut ne Britannis quidem *que* addendum. hanc enim orationis aequalitatem scriptores Latinos diligenter observasse constat: de qua re accuratius quam antea factum erat N. Madvigius exposuit in epistola quam ad Orellium dedit et saepius in opusculis academicis suis. sed hoc aequalitatis studium exulto sermone paulatim in dicendi artem introductum est neque tanta fuit in ea re antiquorum poetarum quam Ciceronis et subsequantium eum scriptorum diligentia. itaque, ut exempla proferam, Ennius dixit in Alcmaeone (apud Cic. de fin. 4, 23 et de or. 3, 68) *Multimodis sum circumventus morbo exilio atque inopia*, in Medea (apud Prob. ad Verg. ecl. 6, 34) *Iuppiter, tuque adeo summe Sol res omnes qui inspicis Quique lumine tuo maria caelum ac terras contues*, Pacuvius in Paulo (apud Nonium p. 507 M.) *Sagittis plumbo et saxis grandinat nivit*. tum apud Lucretium 5, 47 hoc legitur in libris, immerito a Lambino mutatum, *Quidve superbia spurcitia ac petulantia, quantas Efficiunt clades?* etiam Varro similiter dixit in Sesquiulixe (apud Nonium p. 538) *suspendit Laribus marinas mollis pilas reticula ac strophia*. quid quod ipse Horatius, cuius in carminibus tantum est verborum aequalitatis studium quantum in prosa oratione Ciceronis, semel tamen, 3, 3, 33 ss., ita locutus est, *illum ego lucidas*
³² *Inire sedes, ducere nectaris Sucos et ascribi quietis ordinibus patiar deorum: nec multum distant epodi 2 versus 25 ss., Labuntur altis interim ripis aquae, Queruntur in silvis aves, Fontesque lymphis obstrepunt manantibus*. etiam Vergilius minus aequa-

*) [Debet *codex*, habendum *Marullus*.]

bilem orationem non respuit: dixit enim ecl. 4, 84 s. *sunt nobis mitia poma, Castaneae molles, et pressi copia lactis*, ge. 4, 438 *Pleiadas Hyadas claramque Lycaonis Arcton*. sed Ovidium in hac re elegantiae studiosissimum fuisse deprehendi. nam met. 2, 453 inepte multi scribunt *Pyroëis, Eous et Aethon* quasi paeon esse possit *Pyroëis*, qui autem puncta ista vocales dirimentia sustulerunt, tamen non satisfecerunt arti Ovidianae: scripsit Ovidius quod Heinsius et codices aliquod habere et agnoscere scholiastam Statii Theb. 3, 403 tradit, *Pyroëis et Eous et Aethon*. in arte amatoria, 3, 677, simpliciter probari nequit quod in codicibus quibusdam legitur, *Accedant lacrimae, dolor et de pellice questus*: quanquam ne alterum quidem quod libri habent verum videtur, *Accedant lacrimae, dolor et de pellice fictus*. scripsisse poetam suspicor *Accedant lacrimae et dolor et de pellice questus*. denique non satis diligens fuit uterque nuper tristium editor. nam quod scripserunt 3, 4, 57 *Ante oculos errat domus, urbs et forma locorum* non eam orationis aequalitatem continet quam, ut dixi, Ovidius diligentissime observavit. sensit hoc qui scripsit quod in codice Berolinensi est *urbsque et forma locorum*, sensit fortasse etiam Heinsius: sed quid reddendum sit poetae ex codicum discrepantia elicere non possum.

V

Confirmata igitur quantum necessarium esse mihi videbatur Catulliani carminis emendatione ad copulativarum particularum collocationem, ut promisi, accurate disputandam progredior. ac primum quidem Catullum eas a proprio earum in oratione loco nusquam removisse ita demonstrabo ut grammaticorum errores refellam. sed non tangam levissima omnia et indigna refutatione. verbi causa versiculum qui carmini 68 (p. 62, 34) ut compleretur lacuna additus est, *Omnibus et triviis vulgetur fabula passim*, non esse scriptum a Catullo constat et dixi de eo quaest. Cat. p. 42 [*sup. pg. 50*]: quod autem carm. 64, 273 (p. 54, 44)¹ Is. Vossius³³ scribendum coniecit *leni et resonant plangore cachinni*, probatum illud a Valckenario ad Eur. Hipp. p. 293, refellere nihil opus est, cum quasi proprium in comparationibus habere locum parentheses vel Homericas aut Vergilianas exempla satis ostendant.

Sed in carmine 54 (p. 26, 43 ss.) manifesto depravatum est quod in libris legitur,

*Lingua sed torpet, tenuis sub artus
 Flamma demanat, sonitu suopte
 Tintinant aures, gemina teguntur
 Lumina nocte.*

neque Sappho similiter dixit neque Catullus tam inepte locutus est: nam quod quidam ait geminam noctem esse densissimam caliginem, non loquuntur ita Latini. itaque recte quidem Leonhardus Spengelius mutatione aliqua opus esse intellexit, sed non recte putavit scripsisse poetam *gemina et teguntur Lumina nocte*. hoc enim si recipimus, remanet versuum quoddam incommodum, in quo neminem offendisse miror. nam orationis incisio cum versus caesura ter in eadem strophæ congruit, *Lingua sed torpet, Flamma demanat, Tintinant aures*: indignum hoc arte Catulli est neque quicquam consimile apud Horatium invenitur. quare pulchra est Iohannis Schraderi, viri præstantissimi, emendatio, *Tintinant aures geminae*, et pulchre variato verborum ordine hæc annectuntur, *teguntur lumina nocte*. geminas aures multi dicunt et sæpe ita ut abundet adiectivum, quale apud Catullum est *carm. 63, 75 (p. 44, 19) Geminas deorum ad aures nova nuntia referens*, sed hic *Tintinant aures geminae* graviter dictum est atque ut comparari quodam modo possint quæ in dissimili admodum libro leguntur. hæc dico ex vulgata librorum sacrorum interpretatione, 1 reg. 3, 11 *ecce ego facio verbum in Israel, quod quicumque audierit, tinnient ambae aures eius*, et 4 reg. 21, 12 *ecce ego inducam mala super Ierusalem et Iudam, ut, quicumque audierit, tinniant ambae aures eis*.

Deinde *carm. 64, 12 ss. (p. 42, 19 ss.)* Argo navis cursum instituens describitur,

34 *Quæ simul ac rostro ventosum proscidit æquor
 Tortaque remigio spumis incanduit unda,¹
 Emersere feri candenti e gurgite vultus
 Aequoreae monstrum Nereides admirantes.*

non sic locutum esse Catullum nemo dubitabit: quanquam fuerunt non nulli adeo pulchri sensu destituti ut *feri vultus monstrum* Argo dictam esse opinarentur aut alia somniarent magis etiam vana. rectius iudicavit Mitscherlichius cum *et post Aequoreae* inserendum esse putaret. tum *feri vultus* esset Tritonum hippocamporum similiumque monstrorum marinorum: sed clarius locutus esset Catullus. dubitari autem non potest

quin idem quem antea commemoravi Schraderus verum assecutus fuerit, *Emergere freti* (nam hoc magis placet quam altera eius coniectura, *fero*) *canenti e gurgite vultus Aequoreae monstrum Nereides admirantes*. emergendi verbum potissimum cum *se* pronomine coniungitur: sed potuisse ei etiam alius vocabuli accusativum casum adiungi per se satis credibile est, et dixit hoc, opinor, modo dirarum scriptor quem Valerium Catonem esse putant v. 55 ss., *Nigro multa mari dicunt portenta natate, Monstra repentinis terrentia saepe figuris, Cum subito emergere furenti corpora ponto*.

Denique vitium sane est in carminis 62 versu 55 (p. 38, 23), *Multi illam agricolae, multi accollere iuveni* (nam qui possint accollere vitem?), sed Itali rectissime scripserunt *collere*, quod sinceri codices versu 53 habent (*Hanc nulli agricolae, nulli collere iuveni*), cum in antiquissimo codice Thuani utrobique scriptum sit *collere*. contra qui scripserunt *multi ac collere iuveni* et antea *nulli ac collere iuveni* et defensitarunt hoc postquam Lachmannus Italorum coniecturam commendaverat, in una parvula voce quattuor errores commiserunt. primum enim congruere debet horum versuum forma cum eis quae in stropha virgines cecinerunt, *Multi illum pueri, multae optavere puellae* et *Nulli illum pueri, nullae optavere puellae*: deinde omnino debile est istud *ac*: tum non collocat ita Catullus copulativam coniunctionem: denique cum saepe numero hac particula uteretur, nusquam tamen eam ante *c g q* litteras posuit nisi coniunctam cum antecedente *simul*, id quod bis apud eum invenitur, carm. 64, 86 (p. 45, 3), *Hunc simul ac cupido conspexit lumine virgo*, eiusdemque carminis versu 447 (p. 47, 4), *Sed simul ac cupidae mentis satiata libido est*.¹

35

Sed hic paulum consistam, ut hunc locum accuratius pertractem. nam quod dixi non collocari *ac* particulam ante *c g q* litteras, id non tantum ad Catullum pertinet. dixerunt de hac re Burmannus atque Oudendorpius ad Caesarem, Michael Heusingerus emend. p. 456, alii: hodie talia fere neglegunt aut negant, argumenta requirentes et ratiunculas concludentes ubi ante omnia accurata usus observatione opus est. veluti Handius Turs. 4, 457 veritatem regulae negat propterea quod *iccirco* et *accipere* et similiter multa dicantur. possit aliquis opponere propter hanc ipsam rem vitatam esse istam particulae collocationem,

ne coirent pronuntiatione vocabula: non dictum esse *ac coluere*, ne audiretur *accoluere*: sed, ut dixi, rationibus in tali re non multum efficitur. diversam scriptorum consuetudinem nondum satis exploravi, sed poetas bonos ante illas litteras *ac* particulam non posuisse docere posse mihi videor. de Vergilio certo constat: in Horatii versu sat. 1, 3, 58 falsus esse videtur coniectura Bentleius, cum scriberet *Tardo ac cognomen pingui damus*: quod plerique scripserunt, *probus quis Nobiscum vivit, multum demissus homo, illi Tardo cognomen pingui damus*, intellegi posse largior, modo ne cum Orellio atque aliis *multum demissus homo* ad reprehensionem pertinere existimes, multo enim rectius probi et demissi vocabula coniunxerat Bentleius: sed cum in antiquissimo codice Blandiniano, a quo sine summa necessitate non discedendum est, Cruquius invenerit *ille*, Bentleius autem recte sensisse videatur quam male tardi et pinguis vocabula a se separarentur, puto Bentleium in particulae forma errasse, de reliquis iudicasse verissime. nam scripsisse videtur Horatius *Probus quis Nobiscum vivit, multum demissus homo ille: Tardo et cognomen pingui damus*. Lucretius *simul ac* particulas ante *g* litteram habet 6, 440, *Quam simul ac gravidam detrudit ad aequora ponti*: nec potuit aliter dicere, cum ignoraret pariter atque Catullus et Horatius *simul ut* particularum coniunctionem, qua sola usum esse Vergilium egregius litterator Fridericus Iacobus animadvertit (ad Prop. p. 466). eisdem particulis usus est non nunquam, sed raro, Cicero: quod Madvigius dixit ad libros de fin. p. 203 et 869. sed abstinuit eis Ovidius: quare ante *c* litteram *simul ac* posuit met. 15, 398, *Quo simul ac casias — substravit*.

36 praeter hanc dicendi formulam non¹ posuit Lucretius *ac* particulam ante istas litteras: sed opus est ut rectius emendentur eius libri quam et in hac re factum est et ubi editores in eadem particula ante vocalem collocata (1, 889. 5, 343), quid codices admonerent plane securi, acquieverunt. nam 6, 324 adeo ex coniectura scriptum est *Ac celeri ferme pergunt tibi fulmina lapsu*: quod in codicibus est *At* nullo periculo mutatum erat in *Et*. similiter 3, 116 ex uno codice sumptum est *Laetitiae motus ac curas cordis inanis*: in ceteris omnibus *et*, quod verum est, legitur. eiusdem libri 3 versu 438 s. scribunt *Crede animam quoque diffundi multoque perire Ocius ac citius dissolvi in corpora prima*: verum *ac citius* incerta auctoritate nititur: novi codices, et unum

manibus teneo, in quibus scriptum est *et citius*. denique 1, 280 ss. hodie hoc legimus, *Nec ratione fluunt alia stragemque propagant Ac quom mollis aquae fertur natura repente Flumine abundantanti*: sed optimi omnium praeter Gottorpiensem codices Lugdunenses *Et* habent, de Gottorpiensi mihi non constat. atqui verissimum est illud *Et*. similiter dixit Lucretius 3, 1092 ss. *Nec minus ille diu iam non erit, ex hodierno Lumine qui finem vitae fecit, et ille, Mensibus atque annis qui multis occidit ante*, 5, 1078 ss. *Postremo genus altituum variaequae volucres, Accipitres atque ossifragae mergique, marinis Fluctibus in salso victum vitamque petentes Longe alias alio iaciunt in tempore voces, Et quom de victu certant praedaque repugnant*, 2, 444 ss. *Neu simili penetrare putes primordia forma In naris hominum, quom taetra cadavera torrent, Et quom scena croco Cilici perfusa recens est, post quae statim haec sequuntur, Neve bonos rerum simili constare colores Semine constituas, oculos qui pascere possunt, Et qui compungunt aciem lacrumareque cogunt.* de Ciceronis sermone Madvigius dixit p. 177.

Itaque cum Lucretius Catullus Vergilius Ovidius et, ut hunc statim addam, Propertius non posuerint *ac* particulam ante *c g q* litteras, nisi quod Lucretius Catullus Ovidius *simul ac* non poterant non nunquam aliter collocare, num credibile tibi videtur elegantissimum poetam Tibullum, apud quem copulativum *ac* tantum hodie legitur (1, 3, 87 et bis 1, 5, 72) et semel comparativum (*aeque ac* 4, 12, 2), in tam raro particulae usu ita sibi indulgisse ut bis eam ante *c* litteram collocaret? nam in tertio libri 37 primi carmine haec dicuntur [v. 87], *Haec tibi fabellas referat positaeque lucerna Deducat plena stamina longa colo, Ac circa gravibus pensis affixa puella Paulatim somno fessa remittat opus.* sed quantum incertum est utrum *At an Ac* scriptum fuerit in codice archiepiscopi Eboracensis, aptum tamen videtur esse *At* et ab ipso Tibullo profectum. in quinto carmine haec legimus [v. 71], *Non frustra quidam iam nunc in limine perstat Sedulus ac crebro prospicit ac refugit, Et simulat transire domum, mox deinde recurrit Solus et ante ipsas excreat usque fores.* in his ille quem modo dixi codex aut *crebro* habet, quod ferri non potest: in aliis libris *et crebro* scriptum est, quam coniecturam ut par est, habeo, sed veram. nam quod sequitur *ac* fecisse potest ut etiam prius *ac* scriberetur. atque cum haec verba, *ac crebro prospicit ac refugit,*

ita comparata sint ut *refugit* cum quadam gravitate additum sit et, ut aiunt, ἐξ ἀπροσδοκίτου, hic quidem *ac* videtur esse aptissimum, pro priore *ac* pari certe iure et dicere poterat Tibullus. recte enim eis quae antecedunt, *Non frustra quidam iam nunc in limine perstat Sedulus*, annectuntur quasi pari ordine posita et crebro prospicit *ac refugit*: in quibus *ac refugit* partem enuntiati gravius exprimit. ceterum quandoquidem ad hanc particulam delatus sum, hoc addam, non casu factum esse ut ea tam raro Tibullus uteretur, sed arte. Horatio in sermonibus et epistolis et in primo odarum libro haud ita raro *ac* particula utitur, perraro in altero et tertio (2, 20, 23. 3, 25, 44. 28, 6), in quarto nusquam: Vergilius saepe habet in Aeneide et in georgicis, sed non nisi bis in eclogis 3, 4 *ipse Neaeram Dum fovet ac ne me sibi praeferat illa veretur*, et 4, 9 *quo ferrea primum Desinet ac toto surget gens aurea mundo*. in utroque autem versu, ut recte intellectum est, et non posuit Vergilius propterea quod eadem litterae et antecedunt. sed praecipue comparanda est cum Tibullo reliquorum poetarum elegiacorum consuetudo. itaque Lygdamus nusquam usus est *ac* particula, Propertius, ut mihi quidem videtur, in duabus tantum dicendi formulis. nam 3, 24, 15 non nego bonum esse quod in codice Groningano legitur *Ac peream, si me ista movent dispendia*: sed non deterius est quod Neapolitanus habet *Ah peream*. tum 4, 6, 41 ss. scriptum est in Neapolitano libro *Nec speculum strato vidisti, Lygdame, lecto? Ornabat niveas nullane gemma manus? Ac maestam teneris vestem pendere lacertis Scriniaque ad lecti clausa iacere pedes?* mihi vehementer placet *At maestam* Groningani codicis. sed *ac primum* dixit Propertius 4, 10, 43, qua dicendi formula nihil est in prosa oratione frequentius: sed ne poetae quidem ab ea abstinuerunt, ut Vergilius ge. 3, 166, Aen. 4, 174. denique ter dixit *Ac veluti*, 2, 3, 47. 3, 15, 54. 4, 15, 34. rectissime autem Lachmannus hoc *Ac veluti* in altero horum versuum tuitus est (p. 117) ut diceret delitescere copulativam *ac* particulae significationem. id facillime fieri poterat in formula dicendi quae solennis est in comparationibus, similiter atque in optandi formula *atque utinam* prior particula non nunquam non conectit orationem, sed cum altera artissime cohaeret (<ac delituit hunc in modum copulativa particulae significatio apud Vergilium Aen. 2, 626, 6, 707 et in lapidis carmine apud

O. Jahnum spec. ep. p. 408). *ac veluti et ac velut* quam frequens sit in comparatione exemplis ostendam Vergilii ge. 4, 470. Aen. 1, 448. 2, 626. 4, 402. 441. 6, 707. 9, 58. 10, 405. 707. 803. 11, 809. 12, 365. 521. 684. 715. 908. similiter Rabirius dixit in versu quem in appendice halieuticorum Ovidii et cynegeticorum Gratii et Nemesiani p. 78 protuli, *Ac veluti Numidis elephas circumdatur altus*, similiter multi alii. eadem quae Propertii consuetudo est Ovidii. qui cum in hexametris metamorphoseon et halieuticorum versibus non absteineat ab *ac* particula, abstinet ab ea in elegiis. nam fast. 3, 525 et 6, 531 non omnes libri habent *Plebs venit ac viridis passim disiecta per herbas Potat*, et *Parva mora est, caelum vates ac numina sumit*, sed invenitur etiam et: trist. 4, 8, 15 plerique et meliores libri praebent *Illud amicitiae sanctum et venerabile nomen*: trist. 4, 3, 13 scribendum est ex optimo codice Gothano *Crede quod est et vis et desine tuta vereri*, non *ac desine*: her. 21, 235 vereor ne non recte Handius *Ac* scribendum esse coniecerit. restant formulae, *Ac veluti* trist. 2, 149, *Tot maria ac terras* ex P. 4, 11, 16 et *tot ac tantis* trist. 5, 4, 47 (ubi insuavem sonum praeberet *tot et tantis*), *Ac ne forte putes* rem. 465 (nam hanc esse formulam Bentleius demonstravit ad Hor. carm. 1, 48, 7). tum *simul ac* a. a. 2, 33, fast. 2, 604. denique trist. 5, 13, 29 propter sonum scripsit *Sic ferat ac referat*.

In illo autem ad quem tandem revertor Catulli versu scriptum fuisse opinor prisco more *multei coluere iuvenci*: inde factum *multi acoluere, multi accoluere*. quales errores in Catulli 39 carminum exemplaribus inveniuntur plurimi, quos singulos enumerare omitto.

Removimus igitur insolentem copulativarum particularum collocationem ab eis Catulli carminibus in quae ultro eam inferre studuerunt grammatici, coniecturis ludentes neque ullo modo anquirentes quid usus atque consuetudo eius ferret, quasi temporum et poetarum eadem in omnibus omnium esset ratio: restat ut de uno versiculo dicamus in quo ipsi codices illam collationem praebent. quod quo rectius fieri posset ascribendum duxi totum carmen 57, quo iste versiculus continetur. itaque ut errores quosdam ab Italis dudum rectissime emendatos taceam, sic perscriptum est in libris (p. 28, 6 ss.)

*Pulcre convenit improbis cinaedis,
 Mamurrae pathicoque Caesarique.
 Nec mirum: maculae pares utrisque,
 Urbana altera et illa Formiana,
 Impressae resident nec eluentur:
 Morbosi pariter, gemelli utrique,
 Uno in lectulo, erudituli ambo,
 Non hic quam ille magis vorax adulter,
 Rivales, socii et puellularum.
 Pulcre convenit improbis cinaedis.*

Quales fuerint maculae Caesaris urbana, Formiana Mamurrae, minus me scire fateor quam quosdam interpretes, ut multa ignoramus quae veteres scriptores sui temporis hominibus satis perspicue significaverunt: et sufficit probra summatim intellegere. verum in eis quae proxime sequuntur haereo: videntur enim cum universa huius carminis ratione minime congruere. nam illa verba, *Pulcre convenit improbis cinaedis*, quam habeant sententiam non magis obscurum est quam quod similiter dixit apte commemoratus ab Achille Statio Martialis 8, 35 *Cum sitis similes paresque vita, Uxor pessima, pessimus maritus, Miror non bene convenire vobis.* itaque etsi Catullus Caesarem et Mamurram cinaedos et iterum Mamurram pathicum iam in principio carminis appellaverat, tamen repetere hoc et inculcare potuit in similitudinis quae utriusque esset descriptione: nam morbosi sane ea significatione dici videntur quam Bentleius explicavit ad Hor. carm. 1, 37, 9: sed quod sequitur *gemelli utrique, Uno*
 40 *in lectulo, erudituli ambo*, hoc non possum¹ intellegere. gemelli vocabulo in declaranda similitudine Horatius bis ita usus est ut rei in qua duo essent similes commemorationem adderet pariter atque in gemini vocabulo Cicero fecit, neque tamen nego ad describendam perfectam similitudinem ipsam illam vocem per se sufficere posse, quem ad modum Martialis 12, 49, 12, uniones dicit *formosos niveos pares gemellos*: sed in Catulli versu non sufficit propterea quod istud *gemelli utrique* neque singularum similitudinum enumerationi praemissum est, ut generatim species comprehenderet, neque eadem ratione positum in fine, sed intermistum non satis congruenter singulis. similiter *uno in lectulo*, ita dictum ut per se constet sententia, ferri non posse existimo. nam quod Caesar cum Mamurra uno in lectulo re-

quiescebat, id commemorari potuit tanquam argumentum caritatis et amicitiae, non potuit inter causas referri cur utriusque pulere conveniret. non defuerunt qui orationem aliter conformare vellent. atque Achilles quidem Statius frustra et ut difficultatem illam non sentiret scribendum esse coniecit *Unilectuli*. multo melius est Mureti, ut videtur, inventum, *Uno in ludulo erudituli ambo*, neque absurde Balthasar Venator tolle inquit *distinctionem vulgatam et mecum sic scribe*, *Uno in lectulo erudituli ambo*. alludit enim ad proverbium, *Uno in ludo edocti. vult enim istos duos esse per omnia pares et una itasse in eandem scholam nequitiae et improbitatis*. verum erudituli vocabulum forma deminutiva, sed significatione participii, non adiectivi, dictum, quoniam haud exigua est orationis insolentia, non attribuerim Catullo, si forte alia ratione hic versus explicari possit. nihilo tamen minus interpunctionem tollendam et utrumque versum sic scribendum esse existimo,

Morbosi pariter, tenelli utriusque,

Uno in lectulo erudituli ambo.

tenellus recte appellabitur Mamurra, quem Catullus carmine 29 (p. 15, 17 ss.) omnium cubilia perambulare dicit ut albulum columbulum aut Adoneum. neque minus ipse Caesar hoc nomine vituperari a poeta poterat: nam Caesarem circa corporis curam (ut Suetonii verbis utar Caes. 45) *morosiorum fuisse constat, ut non solum tonderetur diligenter ac raderetur, sed velleretur etiam, ut quidem exprobraverunt. καίπερ παρηβηκῶς ἐς κάλλος ἤσκει, ut ait Cassius Dio 43, 43. τῇ τε γὰρ ἐσθῆτι¹ χαυνοτέρα ἐν πᾶσιν ἐνηβρύνετο καὶ τῇ ὑποδέσει καὶ μετὰ ταῦτα ἐνίοτε καὶ ὑψηλῇ καὶ ἐρυθροχρόῳ — ἐχρήτη, τό τε ὅλον τῇ γε Ἀφροδίτῃ πᾶς ἀνέκειτο καὶ πείθειν πάντα ἤθελεν ὅτι καὶ ἄνθος τι ὥρας ἀπ' αὐτῆς ἔχει. non opus est ut plura excribam aut alia congeram: omnia enim diligentissime comprehendit Drumannus hist. Rom. 3, 736 s. 740 ss. deinde eruditulum non inepte Catullus dicit Caesarem, quem plura scripsisse praeter bellorum suorum historias et non nulla adeo quae ad grammaticam eruditionem pertinebant omnibus notum est: Mamurram quoque non rudem fuisse nec illitteratum ex hoc carmine discimus. lectulum igitur puto eum significari in quo legebant et scribebant veteres, utiturque deminutivi vocabuli hac significatione Ovidius trist. 4, 41, 38. denique *uno in lectulo* si cum reliquis eiusdem versus

vocabulis arte coniungimus, minuitur inepta sententiarum dissimilitudo: nam sic ad obiurgationem eruditionis, quae inter causas cur familiaribus istis tam bene conveniret recte numeratur, illa unius lectuli commemoratio, qua siquis turpitudinem simul exprobrari putat, equidem non repugno, additur tantum atque accedit, non suum sibi pondus requirit. sequitur gravis adulteriorum criminatio et praecessit antea turpior muliebris patientiae. quis igitur credat totam similitudinis descriptionem non gravissima accusatione concludi, sed satis leni cavillatione quod socii essent puellarum? et illud quod antecedit *rivales* etiam magis enervat orationem. id quodam modo sensit Iosephus Scaliger, cum scriberet *Rivales socii puellularum*, et removerat coniunctionem antea Muretus. verum Scaligero hic accidit quod non nunquam animadvertere licet in viro summi ingenii summaeque eruditionis, ut suo ipse invento non recte uteretur. *rivales socii* inquit, *ut distinguantur a rivalibus aemulis*. id sic dicturum fuisse Catullum merito dubitare mihi videor. enimvero sublata et particula talis oritur obiurgatio qualem in fine carminis requirimus. *rivales socii puellularum* dicuntur qui et socii sint amatoresque puellarum et rivales earundem tanquam pathici. iteratur igitur muliebris patientiae criminatio in qua totum carmen versatur. in hanc explicationem num Fortunae beneficio ipse inciderit Doeringius an ab alio sumpserit (nam in eodem hoc versu turpes errores simul effudit) non potui exquirere: sed est tamen verissima, neque mutationis probabilitatem quisquam desiderabit. quotiens¹ enim ex antiquae scribendi consuetudinis recordatione maxime Lachmannus in Catulli carminibus fructum ceperit non opus est commemorare. sed utar hac occasione ut similiter Ciceronis quaedam verba emendem. nam inter exempla et particulae pro eo quod dicitur *etiam* a Cicerone positae referuntur haec ex oratione Cluentiana (42, 117), *sicuti et plerique vestrum sciunt*, atque ex libro de inventione altero (2, 7) *sicut et ipse cuius instituta sequebantur fecerat*. non invenio *sicuti* et vel *sicut* et saepius Ciceronem dixisse atque haec ipsa exemplorum paucitas dubitationem movet. atqui in posteriore loco optimus liber Turicensis non *sicut et* habet, sed *sicuti*. quare utrobique *sicutei* scriptum fuisse existimo. rarius quam quis opinetur priscum illud *ei* in antiquis Ciceronis librorum exemplaribus apparet, veluti in rei publicae codice nusquam. sed saepe tamen numero invenitur in palimpsesto libro orationum Niebuh-

riano, *exceistumare exceistumes publicaneis furtei ieis iei deicat cogei istei sei noteis domesticeis lubeidine seic suspicio*. tum quod in Vatiniana oratione, 14 (33), Erfurtensis codex habet *anne* videtur fuisse *annei*, et *neque* quod habet 14 (44) *nequei*, et quod or. pro A. Caecina 8 (22) *meieci* scriptum est in eodem codice, invenerat librarius *ameici*. denique in eadem oratione 14 (40) *deici* scriptum est in codice palimpsesto Taurinensi.

VI

Sublato unico quod in codicibus erat *et* licentius collocati exemplo reliquum est ut quis dicat neque consilio neque propter communem aliquam illa aetate dicendi consuetudinem Catullum ab hac coniunctionis collocatione abstinuisse, sed casu fieri ut nullum in eius carminibus exemplum inveniatur: quanquam eius modi casum iure mirere in plus quam duobus versuum milibus. ego vero diligenter investigando satis, ut videtur, explore cognovi antiquiores poetas Latinos (nam de scriptoribus sufficiunt quae Handius dixit Turs. 1, 512. 2, 538, sumpta illa partim a Ruddimanno 1, 324) coniunctionum copulativarum traiectionem non minus quam Catullum ignorasse ipsaque Catulli aetate primum eam apparuisse et raro. itaque hunc locum disputatione persequar.¹

43

Corrueret autem tota haec doctrina, si Livii essent Andronici versus illi ex parte *μειούροι* quos Terentianus Maurus 1935 (p. 2426 P.) quasi ex Inone eius exscriptos attulit, *Et iam purpureo suras include cothurno, Balteus et revocet volucres in pectore sinus, Pressaque iam gravida crepitent tibi terga pharetra: Derige odorisequos ad certa cubilia canes*. sed hos versus non esse Livii Iosephus Scaliger primus recte intellexit, cui postea optimus quisque assensus est. recte autem Godofredus Hermannus el. doctr. metr. p. 354 negat credibile esse Terentianum ita se decipi passum esse ut hos versus a Livio illo scriptos putaret. ego vero Terentianum ullo modo deceptum esse aut alios decipere voluisse nego: vide enim quibus verbis hos versus suae orationi annectat, *Livius ille vetus Graio cognomine suae Inserit Inoni versus, puto, tale docimen: Praemisso heroo subiungit namque miuron, Hymnum quando chorus festo canit ore Triviae. dicit puto et tale docimen*. putabimus igitur Caesium Bassum *μειούρους**

quosdam versus ex innumeris numeris Livii elicuisse sibi visum esse, ut Saturnios apud Graecos poetas deprehendi eum putasse Atilius Fortunatianus monstrat p. 2680 P. (ne dicam de evulgato nuper, sed nondum emendato neque recte lecto Charisii capite, quod in simili Caesii Bassi errore versatur): quos cum ut inconditos respueret Terentianus, ipse novos ex hoc genere versiculos composuit. similiter tanquam Saturnii versus exemplo uno tantum usus est accuratissimo versiculo, *Dabunt malum Metelli Naevio poetae*. ipsius igitur Terentiani versus habemus, non Livii neque alius poetae antiqui: sed Livii tamen Andronici fuisse Inonem certum est. neque enim in nomine errasse Bassum ulla ratione evincitur. in Livii igitur Inone hymnum cantatum fuisse Dianae intellegimus: quale carmen qui potuerit locum invenire in illa fabula bene docuit Weichertus poet. Lat. rel. p. 73. sed cum idem Weichertus Scaligeri opinionem sequitur et Inonem a Livio abiudicat, attribuit Laevio, mihi quidem probabilis argumentationis nec vola nec vestigium apparet: immo Laevii sermonem isti versus non magis referunt quam Livii. quare si augere volebat Laevianorum qui hodie invenirentur versuum numerum, magis ad eam rem conducebat afferre quosdam eius versiculos qui non delituerunt, sed dudum palam fuerunt ante oculos. Macrobbii haec sunt verba sat. 3, 8, ubi de deo Venere

44 loquitur, *Laevinus etiam sic ait, Venerem igitur almum adorans, sive femina sive mas est, ita uti alma Noctiluca est. Philochorus quoque in Atthide eandem affirmat esse Lunam: nam et ei sacrificium facere viros cum veste muliebri, mulieres cum virili, quod eadem et mas existimatur et femina.* Lavinii nomen, cuius librum qui fuit de verbis sordidis Gellius commemorat 20, 14, Meursius restituendum esse censuit. sed frustra operam sumpsit: manifesti sunt enim carminis versus, Laevii puto, nam congruit erotopaegniorum argumentum,

Venerem igitur almum adorans,

Seu femina sive mas est,

Ita uti alma Noctiluca est.

fuerunt hemiambi in Laevii erotopaegniis: nam integer esse videtur versus quem Charisius ex sexto libro affert p. 483 P., *Lasciviterque ludunt.* primam hemiamborum arsin non solvisse videntur Graeci, solvisse Latinos credibile est propter galliambos Catulli, p. 39, 27 [c. 63, 27] *Ubi capita Maenades vi iaciunt ederigerae,* p. 40, 22 [v. 48] *Ibi maria vasta visens lacrimantibus*

oculis, p. 41, 7 [v. 63] *Ego mulier, ego adolescens, ego ephebus, ego puer*, 44 [v. 40] *Ego viridis algida Idae nive amicta loca colam*. volebam quaedam addere de hemiambis: sed occupavit omnia eruditissimus vir Augustus Meinekius dissertatione quam de Cercida scripsit. [*Abhandlungen der Berl. akadem. 1852. 95 = Anal. Alex. 588.*]

Livium quidem Andronicum ex hac grammatica quaestione removimus. sed omnino ex sexto urbis saeculo qui remanserunt carminum versus, pauci illi quidem si ingentem iacturam spectas, at satis multi ut de sermonis consuetudine coniecturam capias, hi igitur versus omnes non videntur continere copulativarum particularum traiectionem, nisi sicubi quod tradunt veteres scriptores temere mutatum est. verum de uno tamen versiculo Ennii, quoniam dubitari de eo potest, commemorandum esse mihi videtur. ad ea quae Vergilius dixit *Aen. 8, 360 s., passimque armenta videbant Romanoque foro et lautis mugire Carinis*, apud Servium in Carinarum interpretatione haec adiecta sunt, *alii quod ibi Sabini nobiles habitaverint, quorum genus irridere et carinare solebat. carinare autem est obtrectare. Ennius, Contra carinantes verba atque obscena profatus. alibi, neque me decet hanc carinantibus edere chartis*. posteriorem versum Merula ad librum annalium septimum (7, 8) rettulit, priorem ad octavum (8, 6). quem versum, ut congrueret syllabarum mensura cum altero, Salmasius exerc. Plin. p. 283^a sic scribendum esse putavit, *Et 45 contra carinans, verba atque obscena profatus*: alteri versiculo Sed praemisit. verum ex ista Carinarum explicatione, quantumvis licet ineptam dicas, hoc tamen colligere poteris, in carinandi verbo productam fuisse *i* litteram. quod confirmatur eis quae ex Festi libro 3 excerpsit Paulus, *carinantes, probra obiectantes, a carina dicti, quae est infima pars navis: sic illi sortis infimae*. itaque in altero potius versu, ut locum inveniret *carinantibus*, Ennius *i* corripuisse videtur aut produxisse fortasse primam syllabam, quem ad modum Laurenbergius antiq. q. 69 scripsit, *Nec decet haec me carinantibus edere chartis*: priorem autem versum sic conformandum esse suspicor, *Contra carinantes verba aequae obscena profatus*. nam *contra* brevi posteriore syllaba dixit Ennius in versu qui apud Varronem de l. l. 7, 42 Muell. legitur, *Quis pater aut cognatu volet nos contra tueri?*

Deinde septimo ab urbe condita saeculo Lucilius ignorasse videtur illam copulativarum particularum collocationem. nam quod

apud Dousam legitur (l. 40 fr. 6), *Langor et oppressit, pigror, torporque quietis*, aliter scriptum est apud Nonium p. 249 a Mercerio, *Languor, obrepsitque pigror torporque quietis*, et similiter in antiquissimo codice Parisiensi ex quo excerpta quaedam habeo, nisi quod in eo *quietus* est, non *quietis*, ut scripsisse videatur Lucilius *Langor, obrepsitque pigror torporque quietus*.*) neque enim *langor* altera syllaba in thesi producta dici posse videtur, possit in arsi. quanquam Lucretium ne sic quidem puto dixisse 6, 4259, *Nec minumam partem ex agris maeror is in urbem*, sed quod in bonis libris legitur *aegroris* (atque reliqui etiam non habent *maeror is*, sed *maeroris*): pertinet hoc ad eandem dicendi rationem qua *partem* plurali genitivo non raro adiungitur ubi accuratius poneretur nominativus *pars*. deinde quod a Nonio p. 544 M. ex libro Lucilii tertio decimo affertur, *nam sumptibus magnis extractam ampliter atque cum accumbimus mensam*, nequis atque particulae traiectionem agnoscat, sic scriptum est in libro Parisiensi, *nam sumptibus magnis extractam ampliter atque cum accumbis mensa*, Lucilius autem dedisse videtur *nam sumptibus magnis Extractam ampliter atque . . . cum accumbimu mensam*: deest enim vocabulum. Dousa haec ad librum quartum decimum rettulit (fr. 9) et frustra in emendando versiculo operam collocavit. tum apud Dousam (l. 29 fr. 18) haec invenimus, *Cohibet et domi maestus se Albinus, repudium quod filiae remisit*, quae Nonius affert p. 383: sed *et*, quod Dousa habet, omni caret fide nec legitur in codice isto non bono quidem, sed optimo omnium. manifestae sunt iambicorum versuum particulae, *cohibet domi Maestus se Albinus, repudium quod filiae Remisit*. ex eodem libro 29 profert Dousa (fr. 32), *Age nunc summam sumptus ducatque aeris simul atque alieni*, ut atque alieno loco positum esse quodam modo videri possit: aliter Mercerius scripsit in Nonii libro p. 283, *Age nunc summam sumptus duc, atque aeris simul adde alieni*, similiterque codex ille Parisiensis haec praebet, *age nunc summam sumptus ducatque aeri simul adde alieni*. quae desumpta sunt ex versibus trochaicis: scripsit enim Lucilius . . . *age nunc summam sumptus ducat atque aeris simul, Adde alieni*. acerbe subicitur hoc *Adde alieni*. denique Cicero de fin. 2, 8 (23) his utitur Lucilianis, ut fere leguntur hodie in novis exem-

*) [Ita editio princeps; vitium typhotetae ut corrigere mihi non contigit.]

plaribus, quibus vinum Defusum e pleno siet, in siphove cui nil Dempsit, vis et sacculus abstulerit (quorum particula in libello grammatico quem halieuticis et cynegeticis subiunxi, p. 98, Varroni non raro illic errore tribuitur): sed scribere sic non potuisse Lucilium accurate ostendit Madvigius. cuius doctae dubitationi hanc ipsam addo et particulae collocationem.

Quattuor fere annos natus erat, cum Lucilius mortem obiret, M. Tullius Cicero. eius plus quam mille versus habemus, sed nusquam illa copulativae coniunctionis traiectionis apparet. nam in versibus quos ex Aratiis suis ipse affert de nat. deor. 2, 42 (109), *Hic pressu duplici palmarum continet anguem Atque eius ipse manet religatus corpore torto*, quod apud Victorium legitur Orelliusque probavit *Eius et ipse profectum est* ab eo qui monosyllabum eius ignoraret: *Atque eius ipse* confirmatur non tantum codicibus illis neque bonis nec valde antiquis quibus editores fere usi sunt, sed etiam longe antiquiore et meliore Vindobonensi.

Sed quas Sullano tempore a Valerio Catone scriptas esse opinantur dirae et alterum eius, ut putant, carmen Lydia, male illud cum diris coniunctum, haec igitur carmina aperte continent traiectionem copulativam v. 43 s., *diffusis ignibus aura Transvolet, arboribus coniungat et ardor aristas*, et 408 ss. [*Lydia* 5 ss.] *vos nunc alloquitur, vos nunc arridet ocellis, Et mea summissa meditatur carmina voce, Cantat et interea mihi quae¹ cantabat in aurem*, et, si recte haec addimus, 459 s. 47 [*Lydia* 56 s.] *Istius atque utinam facti mea culpa magistra Prima foret*. verum enimvero haec carmina non scripta esse a Valerio Catone postquam licentia Sullani temporis, ut Suetonius ait, exutus erat patrimonio, sed ab alio poeta anno urbis 743, recte intellexit R. Merkelius prol. ad Ibin p. 364 recteque adversatus est Iosepho Scaligero, cuius opinionem plerique omnes communi assensu probaverant. quod addit scripta videri a Cornificio, ludere eum puto: quanquam ne illud quidem laudo quod alius nuper homo doctus Vergilio haec carmina vindicare conatus est.

Verum Caesaris tempore haec particularum copulativarum collocatio increbruisse videtur paulatim neque ut omnibus statim pariter placeret: unde abstinerunt ab ea Cicero et, ut vidimus, Catullus. ipsius Caesaris hi sunt versiculi de Terentio, *Lenibus atque utinam scriptis adiuncta foret vis, Comica ut aequato virtus polleret honore Cum Graecis, neque in hac despectus parte iaceres*.

sed, ut modo significavi, haec vocabula *atque utinam* non possunt huc accurate referri. nam in hac optandi formula *atque* particulae copulativa significatio non nunquam delitescit similiter *atque* antea fieri vidimus in *ac veluti*. ne plura afferam, in ipso omnis orationis initio haec leguntur apud Appuleium l. 7 p. 199 Elm., *atque utinam ipse asinus, inquit, quem nunquam profecto vidissem, vocem quiret humanam dare meaeque testimonium innocentiae perhibere posset.* quare Caesarem subtiliter dixeris non *atque* traiecisse, sed *atque utinam*. inde factum est ut qui nunquam nisi ante vocabula ad quae pertinebat *atque* collocavit Valerius Flaccus nihilo tamen minus diceret 6, 599. *eat atque utinam superetque labores.*

Sed certa, ut videtur, copulativarum coniunctionum loco non suo positarum exempla Lucretii libri praebent, haec, 2, 92 ss. *quoniam spatium sine fine modoque est, Immensumque patere in cunctas undique partes Pluribus ostendit, certa et ratione probatum est,* 3, 531 s. *Scinditur atque animo quoniam natura nec uno Tempore sincero existet, mortalis habenda est,* 4, 545 s. *Vallibus et cycni, nece torti, ex Heliconis Quom liquidam tollunt lugubri voce querelam* (si recte sic scribitur), 5, 746 s. *Tandem bruma nivis affert pigrumque rigorem Reddit, hiems sequitur, crepitans ac dentibus algu,* 6, 1233 *maesto cum corde iacebat Funera*⁴⁸ *respectans, animam et mittebat ibidem.*^{1*)}

Iam vero dicat aliquis casu fieri ut nulli supersint antiquiorum Lucretio poetarum versus in quibus ista particulae traiectionis inveniatur, apud Lucretium non reperiri novae consuetudinis initia, sed vetustioris, ut in aliis rebus, reliquias. id parum probabiliter dici possum equidem, nisi vehementer fallor, ostendere. plus quam septem versuum milia Lucretii libri continent: in tanto versuum numero quinque reperiuntur eius modi traiectionis exempla. cum hac igitur Lucretii continentia comparanda est creberrima apud eos poetas qui Augusti aetate vixerunt eiusdem rei consuetudo.

Ac Vergilius quidem neque *atque* neque *ac* particulas post illud vocabulum traiecit cui praemittendae erant propter cogitationem itaque habeo quod addam perbonae Friderici Iacobi disputa-

*) [Omnes hi versus ab editoribus demum ita corrupti sunt praeter 3, 531 quem Lachmannus emendavit.]

tioni (ad Prop. p. 165 s.): nam in Ciri *atque* sic collocatum bis invenitur, v. 46 s. *Accipe dona meo multum vigilata labore, Promissa atque diu iam tandem exordia rebus* (ubi erravit qui nuper commate post diu interpunxit) et 444 ss. *Mene alias inter famularum munere fungi, Coniugis atque tuae, quaecunque erit illa, beatae, Non licuit gravidos penso devolvere fusos?* sed et particulam Vergilius non saepissime, sed multo tamen saepius quam Lucretius ita ut dixi collocavit. posuit inter adiectivum et subsequens substantivum nomen ecl. 1, 34. 68, ge. 2, 404. 3, 350, Aen. 1, 333. 2, 383. 600. 3, 430. 4, 704. 5, 344. 667. 764. 8, 517. 10, 448. 11, 367: inter duo substantiva appositione coniuncta Aen. 11, 519*) · inter unius substantivi genitivum et alius casum alium ge. 1, 402, Aen. 11, 519. 569; inter substantivum et adiectivum ge. 2, 194, Aen. 4, 124. 165. 5, 325. 6, 840. 12, 30: post simplex substantivum ecl. 2, 10. 4, 54. 7, 60, ge. 1, 304. 426,*) Aen. 4, 418. 513: post verbum ecl. 3, 89. 8, 54, Aen. 2, 73. 3, 668. 4, 512. 515: post adverbium ge. 1, 248, Aen. 1, 262. 6, 449. 8, 329: denique post duo vocabula, adiectivum et substantivum, Aen. 12, 381.

Horatius in epodis et sermonibus illa copulativarum particularum collocatione aliquanto saepius usus est quam Vergilius, minus saepe in carminibus, maxime in posterioribus libris, per raro in epistolis, in arte poetica nusquam. et *atque* quidem saepius quam alii omnes inter duo quae secum artissime coniuncta sunt vocabula ponit, serm. 1, 5, 4. 6, 114. 134. 7, 12. 10, 28, epod. 17, 4. tum *et* eodem modo collocat serm. 1, 8, 30. 10, 49. 74. 2, 3, 244. 6, 85. 8, 88, epod. 1, 12. 2, 20. 3, 22. 13, 14. 16, 2. 42, carm. 1, 2, 9. 39. 29, 14. 34, 10. 2, 8, 14. 19, 10. 16. 3, 4, 70. 4, 15, 2, carm. saec. 64, ep. 1, 15, 35. 2, 2, 167. deinde post vocabulum quod non tam arte coniungitur una notione cum sequente aliquo vocabulo ponit serm. 1, 4, 54. 5, 58. 6, 70. 2, 1, 64. 4, 74, epod. 1, 11. 10, 18. 11, 8. 16, 32. 45. 17, 2. 3, carm. 1, 2, 18. 13, 6. 4, 10, 4, ep. 2, 2, 33. denique post duo vocabula collocat epod. 1, 23. 16, 40. est etiam tum quaedam agnoscenda traiectio, cum duarum *et* particularum, quae sibi respondent, altera non in initio enuntiati collocatur, quale est carm. 1, 37, 25 *Ausa et iacen-*

*) [Frustra hos locos quaesivi.]

tem visere regiam Voltu sereno, fortis et asperas Tractare serpentes.
similiter locutus est serm. 1, 3, 54. 6, 11.

Crebrior in hac *et* particulae collocatione Tibullus fuit, qui non tantum inter duo artissime secum cohaerentia vocabula eam sic posuit, sed sine hac exceptione saepius. dico hanc exceptionem: nam si ad duo vocabula quae una notione comprehendimus copulativum *et* ita adiungitur ut alterum sequatur, praecedat alteri et inter utrumque medium sit, traiectum sane est, sed ut pars tamen subsequatur eius notionis quaecum cohaeret. itaque Tibullus *et* particulam post unum vocabulum collocat 1, 1, 61. 62. 2, 6. 37. 68. 4, 61. 5, 55. 58. 6, 41. 7, 12. 15. 21. 38. 39. 54. 10, 30. 44. 58. 68. 2, 1, 30. 32. 64. 2, 9. 22. 3, 10. 11. 22. 45. 56. 4, 56. 5, 85. post duo vocabula habet 1, 3, 82. 9, 16. 2, 5, 66. 98. post tria 1, 2, 96. in quarti libri elegiis post unum vocabulum legitur 4, 10, post duo 4, 26: nam 6, 15 s. verum puto quod et ego aliquando conieci et, ut ab Huschkio disco, dudum Italus aliquis homo, *Praecipiat* (non *Praecipit et*) *natae mater studiosa, quod optet: Illa aliud tacita, iam sua, mente rogat.* Lygdamus in hac re multo minus creber est Tibullo: quinquies *et* particulam traiecit, 2, 4. 24. 5, 31. 6, 3. 28. in libri quarti carmine primo haec particulae collocatio invenitur v. 1 (si Lachmannum sequimur). 20. 56. 58. 78. 88. 110. 168: sed hoc carmen neque Tibullo neque Lygdamo tribuendum esse plerisque assentior.

Eadem fere quae Tibulli Propertii consuetudo est, nisi quod ab hoc, si nihil subest mendi, semel, 4, 13, 39, *atque* post vocabulum aliquod collocatum est, quod ille nunquam fecit in
⁵⁰ satis rara apud elegiacos poetas particula.¹ Propertius igitur post unum vocabulum *et* posuit 1, 1, 12. 32. 2, 11. 3, 3. 6, 22. 13, 6. 15, 16. 30. 16, 22. 32. 17, 20. 22. 18, 22. 19, 23. 20, 28. 2, 1, 22. 63. 2, 9. 4, 6. 8, 19. 20. 32. 9, 7. 3, 12, 6. 13, 4. 12. 15, 34. 16, 30. 17, 14. 18, 44. 24. 22, 42. 23, 10. 14. 24, 8. 25, 13. 26, 37. 27, 3. 7. 14. 28, 4. 28. 29, 27. 30, 21. 33, 40. 34, 8. 37. 56. 62. 70. 4, 3, 12. 5, 24. 34. 38. 6, 18. 33. 8, 2. 9, 22. 33. 52. 10, 6. 20. 30. 11, 25. 26. 44. 12, 2. 13, 37. 14, 6. 17. 18, 10. 21, 18. 23, 10. 5, 1, 24. 46. 86. 132. 3, 10. 32. 37. 38. 41. 55. 66. 5, 28. 6, 26. 7, 26. 90. 8, 60. 85. 9, 14. 26. 29. 49. 11, 34. 58. 86. post duo vocabula habet 1, 1, 27 (*Fortiter et ferrum, saevos*

patiemur et ignes), 1, 4, 15 (*Quo magis et nostros contendis solvere amores*), 3, 25, 48 (*Cum satis una tuis insomnia portet ocellis, Una sit et cuivis femina multa mala*), 3, 28, 62 (*Votivas noctes et mihi redde decem*). non rettuli in hunc numerum duos Propertii versus quos mendosos esse existimo. itaque conabor eos hac occasione data corrigere. in primi libri carmine sexto decimo ianua eius domus in qua Cynthia habitabat (nam ad Cynthiam hoc carmen pertinet) haec de se loquitur inde a v. 9, *Nec possum infamis dominae defendere noctes, Nobilis obscenis tradita carminibus* (*Nec tamen illa suae revocatur parcere famae, Turpior et saeculi vivere luxuria*): *Has inter gravibus cogor deslere querellis, Supplicis a longis tristior excubiis*. parentheses recte significavit Fridericus Iacobus, et assensus ei est Lachmannus: sed etsi neutrum per se non bene dicitur, *revocatur suae parcere famae* et diverso intellectu *revocatur turpior saeculi luxuria vivere*, tamen utrumque coniungi non potest et particula, cum disiunctivum potius *nec* requiratur, ut Lachmannus probe intellexerat. quare sic puto Propertium scripsisse, *Nec tamen illa suae revocatur parcere famae: Turpior it saeculi vivere luxuria*,*) h. e. et tamen istis obscenis carminibus non revocatur a turpi vita nec parcat famae: immo magis magisque libidini indulget et ipsius saeculi luxuriam turpitudine sua superatum it sive vincere conatur. asyndeton consuetudinem refert Propertii: *it turpior vivere* Graeci, si ita vis, sermonis similitudinem habet. comparari quodam modo potest quod dictum est 4, 4, 12 *Ibat et hirsutas ille videre feras*. deinde haec leguntur 4, 13, 7 s. *Et Tyros ostrinos praebet Cadmea colores, Cinnamon et multi¹ pastor odoris Arabs*.⁵⁴ pastorem multi odoris dici non posse apparet: cinnamon multi odoris non puto dictum esse, quoniam, ut Lachmannus vidit, multus odor potius multa aromata indicare videtur. quocirca scribendum existimo *Cinnamon et multum pastor odoris Arabs*.**)

Transeo ad Ovidium, cuius in traicienda coniunctione copulativa eadem cautio fuit atque Lygdami. quid quod superavit eius elegantiam. nam casui nullo modo attribui potest quod in duodecim versuum milibus quae metamorphoseon libri conti-

*) [Posuit Hauptius vs. 11 sq. servato et in fine carminis.]

***) [Mutata de hoc versu etiam post edita Propertii carmina sententiam protulit Hauptius Var. LXVI.]

nent aut rarissime aut nusquam alieno loco et collocavit. puto autem nusquam. nam 15, 792 s. non intellego cur sic interpungatur, *Mille locis lacrimavit ebur, cantusque feruntur Auditi, sanctis et verba minacia lucis*: cantus et verba minacia pariter in lucis audita esse dicuntur. deinde 6, 544 quod Burmannus ex uno libro recepit, *Exultatque animo, vix et sua gaudia differt*, non caret magna dubitatione. in uno libro Leidensi inventum est *Exultatque animo et vix sua gaudia differt*: in plerisque legi videtur *Exultatque et vix animo sua gaudia differt*, quod ineptum esse visum est Capoferreo et item Heinsio. unde verum ab Ovidio abiudicantur, nec male Burmannus effectum videri ait ex eo quod dictum erat 4, 350 *vix iam sua gaudia differt*. scilicet quod Leidensis codex praebet interpositum esse suspicor ab aliquo homine qui non nihil ad plenam orationem deesse opinaretur. at nihil tamen recte desideramus, si ita scripsit Ovidius '*Vicinus!*' exclamat, '*mecum mea vota feruntur!*' *Barbarus, et nusquam lumen detorquet ab illa*. ex interposito versiculo postea ut hiatus removeretur alii operam dederunt varie. *) semel tamen *et* post initium orationis positum est, 15, 444, ubi Pythagoras Helenum Aeneae haec vaticinatum esse narrat, *non tota cadet te sospite Troia: Flamma tibi ferrumque dabunt iter: ibis, et una Pergama rapta feres, donec Troiaequae tibi que Externum patrio contingat amicus arvum. Urbem et iam cerno Phrygios debere nepotes Quanta nec est nec erit nec visa prioribus annis*. Heinsius primus posuisse videtur *et iam*, pro quo antea scriptum erat *etiam*, quod defendi potest, sed ut illud tamen magis placeat. verum in *et iam* vocabulis artissime inter se conexas exceptio danda esse videtur: certe Graeci καὶ δὴ suum, cum propemodum idem esset atque ἤδη, similiter collocarunt, ⁵² veluti Aristophanes vesp. 1483 τοῦτ' ἐστὶ καὶ δὴ χωρεῖ τὸ κακόν, in pace 942 ὡς ταῦτα δὴλὰ γ' ἔσθ'· ὁ γὰρ βωμὸς θύρασι καὶ δὴ, Xenophon inst. Cyri 4, 4, 11 ὁπόσοι δ' ἂν τὰ πολεμικὰ μὴ ἀποφέρωσιν ὄπλα, ἐπὶ τούτους ἡμεῖς καὶ δὴ στρατευσόμεθα. sed in reliquis praeter metamorphoseon libros carminibus Ovidius ab ista particularum collocatione non abstinuit. multo tamen magis orationi eleganter conformandae studuit quam Propertius atque

*) [Servavit in editione Hauptius verum ex plerorumque codicum auctoritate scriptum.]

adeo Tibullus: nam raro, ut in multis versuum milibus, ita locutus est. exempla *et* sic collocati inveni in hisce versibus, her. 1, 32. 2, 67. 9, 118. 11, 16, am. 1, 3, 10. 4, 55. 9, 22. 44. 13, 44. 2, 1, 32. 9, 10. 3, 10, 32. 12, 18, a. a. 1, 60 (si tamen hoc distichon Ovidii est, quod cum Heinsio paene negaverim). 2, 330. 676. 3, 360. 438, rem. 216, fast. 1, 154. 156. 614. 2, 44. 344. 3, 748. 4, 737. 947. 5, 64. 296. 370. 6, 329. 744.*) atque in his quidem *et* semper post unum vocabulum collocatum est, post duo posuit Ovidius am. 2, 10, 36, a. a. 3, 376. paulo saepius in tristibus et in epistolis ex Ponto, quorum carminum, in exilio scriptorum, minor est elegancia, aliter atque in prosa oratione fit *et* particulam collocavit: post unum vocabulum trist. 1, 3, 96. 4, 10. 5, 11. 6, 31. 7, 30. 2, 172. 546. 3, 1, 40 (ubi fortasse scribendum est *Iungit*). 2, 22. 4, 44. 54. 7, 42. 11, 20. 14, 52. 4, 3, 36. 4, 78. 5, 28. 29. 6, 2. 8, 2. 5, 1, 64. 5, 15. 21. 7, 26. 10, 44. 12, 18, ex P. 1, 1, 24. 2, 126. 5, 36. 6. 48. 7, 46. 8, 30. 2, 2, 122. 3, 42. 5, 66. 6, 36. 8, 35. 9, 12. 3, 3, 12. 70. 5, 25. 6, 14. 7, 16. 4, 2, 24. 3, 48. 54. 4, 24. 39. 13, 34. 14, 12. 18. 16, 39: post duo vocabula trist. 5, 7, 40, ex P. 4, 9, 131. 16, 33: post tria trist. 5, 7, 24 (*Absit ab invisis et tamen umbra locis*): post quattuor ex P. 1, 4, 20 (*Ante meum tempus cogit et esse senem*). tum in Ibide, minus eleganti carmine, post unum vocabulum v. 14. 142. 230. 242. 362. 447. 541. atque particulam semel Ovidius ab initio enuntiati removet, si tamen scripsit quod a. a. 3, 281 s. legimus, *Quis credet? discunt etiam ridere puellae, Quaeritur atque illis hac quoque parte decor*. sed pungit me singulare exemplum et in eo carmine inventum quod summâ arte a poeta expolitum est. quare paene suspicor non atque eum scripsisse, sed *aque*, quo utitur her. 6, 156, ex P. 1, 9, 48. in *et* particulae collocatione a quindecim epistolis quas quin Ovidius scripserit dubitari non potest aliquantulum elegancia 53 distant sex posteriores heroïdes, quae, ut antea me significare memini, minus certo iudicio eidem poetae attribuuntur. in quibus saepius invenitur ita collocata particula, 16, 26. 92. 110. 226. 340. 18, 36. 19, 110. 114. 160. 21, 229. ex prioribus heroïsin

*) [Ultimi duo numeri quo referendi sint nescio: neque enim unquam in sexto fastorum libro et non suo loco positum est, neque credo Hauptium locis quales sunt 525, 355, 707 esse deceptum.]

non rettuli in hunc numerum quod legitur 6, 34 s. *Ut rediit animus, tua facta requirere coepi: Narrat et aenipedes Martis arasse boves.* nam si librorum discrepantiam accurate consideramus, videtur Heinsius rectissime scripsisse *Narrat aenipedes* et probabiliter 42, 93 *Iungis aenipedes.* etenim nec satis pulcrum est in priore versiculo illud *et*, ita quidem collocatum, cum non adiungat paria, sed alterius sermonem subnectat, nec satis recte Loersius comparavit 49, 454, ubi verum videtur *Sternuit en lumen*: nihil enim obstat quod sequitur paulo post simile vocabulum *ecce*.

Satis dictum est de Ovidio. itaque ut antea, cum de elisione disputabam, non progrediar longius, sed illud tamen addam, Statum in silvis atque in Thebaide haud ita raro copulativam particulam isto de quo disserui modo collocasse, in Achilleide semel, 2, 360.

VII

Ut summam faciam, vidimus, nisi fallor, istam copulativas coniunctiones traiciendi consuetudinem incognitam fuisse antiquissimis poetis Latinis, increbuisse autem primum circiter septimi ab urbe condita saeculi finem, sed paulatim neque ut omnibus pariter placeret. quae cum ita esse videantur, unde tandem eam derivandam esse censebimus? non dico persuasum mihi esse, sed suspicor tamen huius etiam usus originem, ut quarundam aliarum rerum a grammaticis nondum satis exploratarum, in Alexandrinorum poetarum, quorum carmina illa aetate in primis studiose lectitari coepta sunt, imitatione quaerendam esse. quodsi non potero hanc opinionem magna exemplorum copia confirmare, paucitas eorum in tanta Alexandrinorum poematum iactura non multum oberit suspicionis probabilitati, et reputandum erit ex illo carminum genere, in quo insolentiam sermonis anxie quaerebant isti poetae, integrum remansisse paene nihil: veluti Callimachum in hymnis¹ multo magis simplici dictione usum esse quam in aliis carminibus relicta horum fragmenta aperte ostendunt. neque dubito quin parcius huic licentiae indulserint Graeci poetae quam plerique Latini, quos, ut hanc commoditatem cupidius sectarentur, sermonis Romani minor ad Graecos versus imitandos habilitas et auctum tamen paulatim numerorum elegantius conformandorum studium ultro invitabant.

sin autem me fefellerit, tamen si accurate disputavero, paulo certius quam hodie de καί particulae collocatione constabit. itaque laborandum mihi est ut de hoc loco quantum in me est diligentissime exponam.

Alexandrinus poetas commemoravi: nam illi poetae, qui τοὺς νεωτέρους, ut vocantur non nunquam a grammaticis, tempore antecesserunt, omnes a copulativae coniunctionis traiectione abstinuisse videntur. neque enim huc potest referri traiectionum illud καί δὴ quod cum una notione comprehendatur atque a simplicis adverbii ἤδη significatione prope absit, ne potest quidem recte dici esse traiectionum. non magis ad hanc quaestionem pertinet καί γάρ, quod in media oratione non nisi a ceterioris, ut ait, Graecitatis scriptoribus collocatum esse Schaeferus credit et saepe dixit, veluti gnom. poet. p. 49. sed erravit: nam eodem modo antiquissimus poeta Sίμωνιδες Amorginus locutus est in eis versibus qui apud Athenaeum p. 659^d leguntur, χῶς ἄφουσα χῶς ἐμίστουλα κρέα Εἰδῶς· τί καί γάρ οὐ καλῶς ἐπίσταμαι;*) accurate congruit Latinorum *etenim*, quod cum similiter pro uno esset vocabulo, post initium enuntiati collocaverunt inde ab Ennio omnes praeter comicos poetae qui eo usi sunt: neque enim omnes usi sunt. cum autem Simonidis mentionem fecerim, impetrare ab animo non possum ut de quodam eius versiculo taceam quem certa emendatione correxisse mihi videor. in iambis enim qui sunt de mulieribus nego explicari posse quae de muliere ex simia facta dicuntur v. 75 s., Ἐπ' ἀχένα βραχεῖα κινεῖται μόγις, Ἄπυγος, ἀτόκωλος. nullo modo ἀτόκωλος appellari potest mulier quae quasi tota ossea est: nam κῶλον non significat os: neque meliora sunt reliqua quibus hoc vocabulum explicare non nulli sibi visi sunt. scripsit Simonides, Ἄπυγος, ἀτόκωλος pariter atque *arida crura* Ovidius dixit a. a. 3, 272. praeterea v. 27 nondum credo dixisse Simonidem quod pluribus nuper placuit, Τῆν δ' ἐκ θαλάσσης, ἧ δὲ ἐν φρεσὶν νοεῖ. haec enim esset mulier quae duas cogitationes haberet: requirimus duplici³⁵ mentis indole praeditam. quare suspicor scribendum esse ἧ δὲ ἐν φρεσὶν νοεῖ. de correpta diphthongo nequis dubitet, similiter dictum est v. 70 Ὅστις τοιούτοις θυμὸν ἀγλαΐζεται.

*) [Certa emendatione hoc exemplare sublatum est ab A. Heckero. vide Sim. fgm. 24 Bergk.]

Sed de καί particulae traiectione longe alia sententia est Ludovici Doederlini, viri clarissimi, qui in lectionum Homerocarum specimine altero, p. 12, etiam ab antiquissimis poetis et scriptoribus καί post illud vocabulum cui emphasin addat collocari demonstrare conatur. mihi longe secus esse videtur. nam quod est apud Homerum, II. 2, 229 ss. Ἡ ἔτι καὶ χρυσοῦ ἐπιδέουσαι ὄν κέ τις οἴσει Τρώων ἱπποδάμων ἐξ Ἰλίου, υἱὸς ἄποινα, Ὅν κεν ἐγὼ δήσας ἀγάγω ἢ ἄλλος Ἀχαιῶν; hoc explicari non potest ita ut ἔτι καί esse putemus καί ἔτι, sed haec est Thersitae interrogatio, cum tantum possideas aeris, num insuper auri quoque indiges eius quo redimentur Troiani capti a me vel ab alio aliquo Graeco? similiter II. 19, 69 ss., ubi proelium postulat Achilles et haec dicit, ἀλλ' ἄγε θάσσον Ὀτρυνον πόλεμόνδε καρρηκομῶντας Ἀχαιοῦς, Ὅφρ' ἔτι καὶ Τρώων πειρήσομαι ἄντιος ἐλθῶν, Αἶ κ' ἐθέλωσ' ἐπὶ νηυσὶν ἰάσειν, qui possit ad ἔτι pertinere καί? pertinet aperte ad πειρήσομαι atque ad ea quae ex hoc verbo suspensa sunt. deinde Thucydidem commemorat Doederlinus, cuius haec esse dicit verba 4, 1, καὶ ἐςβεβλήκεσαν ἅμα ἐς τὴν Ῥηγίνων οἱ Λοκροὶ πανστρατιᾶ, ἵνα μὴ ἐπιβοηθῶσι τοῖς Μεσσηγίοις, ἅμα δὲ καὶ ξυνεπαγόντων Ῥηγίνων φυγάδων, οἱ ἦσαν παρ' αὐτοῖς. τὸ γὰρ Ῥήγιον ἐπὶ πολὺν χρόνον ἐστασίαζε, καὶ ἀδύνατα ἦν ἐν τῷ παρόντι τοὺς Λοκροὺς ἀμύνεσθαι· ἢ μᾶλλον καὶ ἐπετίθεντο. verum boni codices, quique sunt, non hoc praebent, sed ἢ καὶ μᾶλλον ἐπετίθεντο. unde frustra fuit vir clarissimus, cum putaret Thucydidis verbis defendi posse quod codices sane et plerique et optimi habent in Platonis convivio, p. 177^b, καὶ τοῦτο μὲν ἤττον καὶ θαυμαστόν. nego ἤττον καὶ pro eo quod est καὶ ἤττον dictum ratiunculis confirmari, exemplis autem, quibus haec res siqua alia indiget, vereor ne confirmari nunquam possit. quare aut recte omissum est in quibusdam codicibus alterum καὶ aut scribendum καὶ τοῦτο μὲν καὶ ἤττον θαυμαστόν. deinde orationem Demosthenis de pace, p. 65, 5, commemorat. interrogantes sese fingit orator Athenienses haec, τὰ κελεούμενα ἡμᾶς ἄρα δεῖ ποιεῖν ταῦτα φοβουμένους; καὶ σὺ ταῦτα κελεύεις; ad quae respondet πολλοῦ γε καὶ δέω. hic dubitat Doederlinus utrum καὶ πολλοῦ γε significetur an πολλοῦ γε καὶ αὐτὸς δέω. neutrum probo, sed intendit καὶ subsequens verbum δέω. non possumus hoc Latino sermone accurate exprimere: verum hic tamen est Graecorum verborum intellectus, non iubeo haec, sed abest potius multum ut talia

feri iubeam. denique quid differret inter τί χρῆ καὶ λέγειν; et τί χρῆ λέγειν; egregie docuisse ait Hermannus, et profecto docuit ille egregie, sed quod addit Doederlinus rationem huius usus hanc esse ut καί ad χρῆ referamus, haec vero nulla videtur esse ratio. enimvero hic quoque καί ad sequens verbum pertinet. nam cum verissime Hermannus praecipiat τί χρῆ λέγειν; interrogare eum qui quaerat quid dicendum sit, τί χρῆ καὶ λέγειν; eum qui dubitet non tantum quid, sed num aliquid dicendum sit, apparet hunc quidem vereri ne totum illud dicere supervacaneum sit aut frustra fiat: itaque tanquam aliquid quod, si fiat, inutile additamentum adiciat, λέγειν illud annectit καί particula. atque haec quidem refellendae Doederlini doctrinae sufficere videntur: nam Sophoclis versum ex Antigona 770 Hermannus explicavit.

Eandem καί particulae traiectionem G. Dindorfius non omnibus quidem Graecis scriptoribus promiscue, sed Atticis poetis impertivit: ipsi enim ignorasse videntur. atque in thesauro quidem H. Stephani a se aucto hac vocabuli collocatione usum esse dicit Aristophanem Ach. 886, ubi Boeotus anguillam, quam cupide appetit Dicaeopolis, ex canistro protrahit his verbis eam simul evocans, Πρέσβειρα πεντήκοντα Κοπάδων κορᾶν, Ἐκβαθὶ τῷδε κάπιχαρίττα τῷ ξένῳ. hic nunquam indagare potui cur καί ad τῷδε pertinere existimandum esset: videtur enim Boeotus id dicere quod eum omnes, opinor, interpretes dicere putaverunt, ἔκβαθι κάπιχαρίττα τῷδε τῷ ξένῳ. deinde apud eundem Aristophanem nub. 744 Socrates Strepsiadem ut strenue philosophetur sic admonet, Ἐχ' ἀτρέμα· κἄν ἀπορῆς τι τῶν νοημάτων, Ἄφεις ἀπελθε· κἄτα τὴν γνώμην πάλιν Κίνησον αὐθις αὐτὸ καὶ ζυγώθρισον. verum ne hic quidem αὐτὸ καὶ significare puto καὶ αὐτό· eleganter et fortasse vere Hermannus scribendum coniecit τῇ γνώμῃ: sed cum ipse scite addat tragici cuiuspian haec esse verba videri, nescio an tragici sermonis insolentia τὴν γνώμην, quod libri habent, excusari possit. quoniam enim τὴν γνώμην κινεῖν una meditandi et animum attendendi notionē 57 comprehendi potest, non praeter legem Graecae linguae addi videtur αὐτό. etiam pacis v. 447 s., πρὸς ταῦτ' ὦ φίλ' Ἐρμῆ ξύλλαβε Ἡμῖν προθύμως τήνδε καὶ ξυνέλικυσον non agnosco καί particulae traiectionem. nam tam rara dictio multo certioris exempli indiget quam haec verba praestant, in quibus non in-

commode coniunxeris ξύλλαβε ἡμῖν τήνδε. neque Aeschylum Prom. 54 Ἐγνώκα τοῖςδε κοῦδὲν ἀντειπεῖν ἔχω dixisse existimo pro eo quod esset καὶ τοῖςδ' οὐδέν. nam postquam Robur negaverat quenquam esse liberum praeter Iovem, recte respondet Vulcanus, *ex hac ipsa Promethei sorte et imposita mihi a Iove eius ad rupem astringendi necessitate intellexi verum esse quod ais neque quicquam habeo quod contra dicam.* difficiliora sunt quae Dindorfius postremo addit Euripidis verba ex Medea, v. 481 s. admonet ibi chorus nutricem ut Medeam ex aedibus educat, Ἀλλὰ βᾶσά νιν Δεῦρο πόρευσον οἴκων Ἐξω φίλα καὶ τὰδ' αὔδα. Σπεῦσον, πρὶν τι κακῶσαι τοὺς ἔσω. in his φίλα non esse vocativum singularis numeri stropha docet. multum autem de hoc versu dubitaverunt homines doctissimi idque tam valde me perturbat ut paene mihi videar caecutire cum nihil ad modum mirabile in his videam. itaque non sine erroris quadam excusatione fateor mihi quidem φίλα adverbii significatione positum ad πόρευσον pertinere videri, ut hoc dicat chorus, *sed vade et eam blande adducito extra domum et haec ei renuntia.* non miror φίλα pro φίλως adverbio dictum, quanquam intellego non prorsus similem esse orationem in Orestis v. 299 s., ὅταν δὲ σὺ στένης, Ἡμᾶς παρόντας χρή σε νουθετεῖν φίλα. illud autem καὶ τὰδ' αὔδα ad ea referendum esse quae chorus antea dixerat, μήτοι τό γ' ἐμὸν πρόθυμον φίλοιςιν ἀπέστω, assentior Elmsleio.

Alia traiectae καὶ particulae exempla apud tragicos olim alii invenire sibi visi sunt: quorum errores redarguere nolo, ne dicar deserta castra expugnare. veluti quod Rhesi v. 383 ss. legitur, Ἴδε χρυσόδετον σώματος ἀλκίην, Κλύε καὶ κόμπους κωδωνοκρότους Παρὰ πορπάκων κελαδοῦντας, fuerunt qui hoc ita explicarent quasi dictum esset καὶ κλύε κόμπους: sed καὶ etiam significat pertinetque ad κόμπους, alter autem versiculus ad priorem additus est ἀσυνδέτως. verum ipse Dindorfius olim (ad Ar. Ach. 884) ex Sophoclis Antígona huc rettulit versum 718, Ἀλλ' εἶχε θυμῶ καὶ μετάστασιν δίδου. in quo versu postea scripsit Ἀλλ' εἶχε θυμοῦ. ego vero θυμοῦ, quod deteriores libri habent, non puto esse verum, sed si verum est optimi codicis Laurentiani θυμῶ, satisfacit mihi Godofredi Hermanni ratio post εἶχε commate interpungentis et sic omnia interpretantis, *sed cede, irae etiam intermissionem fac.* dubitari tamen, nisi fallor, potest utrum hoc scripserit Sophocles an ex utroque vocabulo, θυμῶ

et θυμοῦ, fortasse tertium sit efficiendum. neque enim absurde suspicere dixisse poetam, Ἄλλ' εἶχε θυμῶν καὶ μετὰστασιν δίδου. quod εἶχεν cum genitivo suo transfero ad eius rei significationem quam quis missam faciat, defendi posse videtur Herodoti comparatione, apud quem haec invenio 7, 160, ἀλλ' ἐπεὶ τε ὁμῖν ὁ λόγος οὕτω προσάντης κατίσταται, ἡμεῖς τι ὑπείξομεν τοῦ ἀρχαίου λόγου. quod autem, si sic scribimus, genitivus etiam ad μετὰστασιν referendus est, in eo nihil video incommodi. denique θυμῶν plurali numero dixisse videtur Sophocles Ai. 718, ubi cum bonis codicibus traditum sit θυμόν et tantum in uno inveniatu θυμόν τ', est, sane, ut puto, simplicissimum quod Triclinius scripsit θυμῶν. pulchre enim haec dicuntur, Κοῦδὲν ἀναούθητον φατίσαιμ' ἄν, Εὐτέ γ' ἐξ ἀέλπτων Αἴας μετανεγνώσθη Θυμῶν Ἀτρεΐδαις μεγάλων τε νεικέων. coniungo autem haec, ἐξ ἀέλπτων θυμῶν, nam multo minus placet altera ratio qua Augustus Lobeckius ἐξ ἀέλπτων quodam modo explicari posse ostendit. idem autem Lobeckius θυμῶν plurali numero dictum erudite, ut solet, confirmavit.

A tragicis igitur et comicis poetis Atticis alienum esse videtur καὶ copulativum loco non suo positum. itaque si circumspicimus quemnam poetam ante illos quos dixi νεωτέρους traiecissee particulam credibile sit, occurrit, nisi fallor, Pindarus, cuius multa est in verborum collocaione audacia. quare videntum erit de Pindaro. in eius igitur carmine Olympio 6 v. 23 ss. haec leguntur, ὄφρα κελεύθῃ τ' ἐν καθαρᾷ Βάσομεν ὄχρον ἴωμαί τε πρὸς ἀνδρῶν Καὶ γένος. ultima verba ita esse explicanda, *ut veniam etiam ad genus virorum, ad maiores, cum antea de ipsis viris dixerim*, recte affirmavit Boeckhiius not. crit. p. 385. neque dubito quin Ol. 5, 46 ita dictum sit ἦδ' ἔχοντες σοφοὶ καὶ πολίταις ἔδοξαν ἔμμεν ut καὶ et πολίταις artissime inter se cohaereant. deinde in his versibus Ol. 2, 28 ss., Λέγοντι δ' ἐν καὶ θαλάσῃ Μετὰ κόραισι Νηρηῆος ἀλαις βίστον ἄφθιτον Ἴνοι τετάχθαι τὸν ὅλον ἀμφὶ χρόνον, nullum agnosco καὶ particulae hyperbaton, agnosco, si ita vis, praepositionis.⁵⁹ neque insolentissima est καὶ particulae inter praepositionem et casum nominis collocatio: exempla ex Luciani et Aeliani scriptis allata sunt in thesauri Stephaniani editione Parisiensi. quibus addo Manethonis versum 2, 82, Καὶ βριαρῶν Διδύμων σὺν καὶ χεῖρεσσι κάρηνα, ubi frustra Riglerus aliquando aliquid

coniecit. suo loco posita est καί particula, non necessaria illa quidem, sed multum tamen conferens ad declarandam rerum coniunctionem. unde fit ut maxime ubi σύν et ἄχρι et μέχρι praepositiones, in quibus iam inest coniunctionis vel continuationis significatio, nominibus additae sunt, καί accedat et complectatur nomina artius. quare similiter καί dicitur non tantum cum praepositiones antecedunt nomen, sed etiam in alia eorum quae coniuncta sint aut pariter fiant descriptione: quem ad modum de angue dicit Oppianus hal. 1, 576 ss. Αὐτὰρ ὃ γ' ἀσχαλώων ῥίπτει δέμας, εἰσόκε μοῦραν Λευγαλέοιο λάβησιν ἀνώϊστου θανάτοιο, Αἰδόμενος ὅτ' ἀναγκῆς ὅπλων γένεθ' οἷς ἐπεποῖθει Ἔμμεν' ὄφις, πέτρῃ δὲ συνώλεσε καὶ δέμας ἰῶ. similiter post adverbia ad nomina non nunquam adicitur καί illa quam dixi significatione. afferam exempla quae mihi in promptu sunt. Callimachus h. in Dianam 98 ss. Ἐνθεν ἀπερχομένη (μέτα καὶ κύνες ἐσσεύοντο) Εὖρες ἐπὶ προμολῆς ὄρεος τοῦ Παρρασίοιο Σκαιρούσας ἐλάφους, Apollonius Rhodius 3, 114 Εὖρε δὲ τὸν γ' ἀπάνευθε, Διὸς θαλερῆ ἔν ἀλωῆ, Οὐκ οἶον, μέτα καὶ Γανυμήδεα, Callimachus h. in Dianam 166 s. Ἐν καὶ χρυσείας ὑποληνίδας ἐπλήσαντο, Oppianus hal. 1, 151 Ἐν καὶ ὄνος κείνοις ἐναρίθμιος, Theocritus 7, 1. 2 Ἦς χρόνος ἀνὶ ἐγῶν τε καὶ Εὐκρίτος ἐς τὸν Ἄλεντα Εἴρπομες ἐκ πόλιος, σύν καὶ τρίτος ἄμιν Ἀμόντας. atque in Theocriti quidem versu qui recte vidit Apollonii Dyscoli auctoritati magis obsequendum esse quam codicibus non καί sed δέ habentibus, Eduardus Gerhardus, lect. Ap. p. 57, σύν praepositionem esse putavit et καί traiectum, ut hoc diceret Theocritus, καὶ σύν ἄμιν τρίτος Ἀμόντας: sed adverbium esse σύν neque καί traiectum docent quae ipse comparavit verba Apollonii Rhodii 1, 74 σύν καὶ τρίτος ἦκεν Οἰλεύς, Ἐξοχος ἡνορέην. si autem apud utrumque poetam σύν adverbium est atque καί et τρίτος arte coniunguntur, apparet ἀσύνδετον esse orationem, erat tempus, cum ego et Eucritus ad Halenta ibamus ex urbe, simul, tertius ad nos accedens, Amyntas, et
60 apud Apollonium, sequebatur Eurytion et Eribotes.¹ simul, ut accederet tertius, veniebat Oileus: ut neque copulativum καί neque δέ poneretur hoc ipsum quod dicebatur καὶ τρίτος fecisse mihi videtur. itaque nescio an comparari quodam modo possit alia Graecorum dicendi consuetudo. quem ad modum enim in eis quae attuli καί quod est etiam et ad τρίτος pertinet neque

enuntiata conecit ponere satis habuerunt Theocritus atque Apollonius, ita καί γάρ non nunquam dicitur ubi καί γάρ καί intellegendum est. non dico idem hoc esse, sed simile propterea quod unum καί duplicis particulae vicarium est. atque hinc mihi reditus est ad Pindarum. etenim Ol. 7, 24 ss. recte scripsit Boekhius ἀμφὶ δ' ἀνθρώπων φρασὶν ἀμπλακίαι Ἄναρίθμητοι κρέμανται· τοῦτο δ' ἀμάχανον εὐρεῖν Ὅ τι νῦν ἐν καί τελευτᾷ φέρτατον ἀνδρὶ τοχεῖν, et Pyth. 10, 55 ss. Hermannus Ἐλπομαι δ' Ἐφυραίων Ὅπ' ἀμφὶ Πηγείον γλοκεῖαν προχεόντων ἐμάν Τὸν Ἴπποκλέαν ἔτι καὶ μᾶλλον σὺν αἰοδαῖς Ἐιατι στεφάνων θαητὸν ἐν ἄλιξι θησέμεν ἐν καί παλαιτέροις, Νέαισιν τε παρθένουσι μέλημα. in his non puto simpliciter traiectam esse καί particulam neque νῦν ἐν καί τελευτᾷ idem esse atque νῦν καί ἐν τελευτᾷ aut ἐν ἄλιξι ἐν καί παλαιτέροις idem quod ἐν ἄλιξι καί ἐν παλαιτέροις, sed καί videtur esse *etiam* et ad proximum utrobique vocabulum pertinere: hoc καί ponere satis habuit Pindarus, cum plena oratio haec foret, *nunc et etiam in fine, inter aequales et etiam inter seniores*. itaque si bene conicio, nullum hic agnoscendum erit καί particulae hyperbaton, sed quaedam breviloquentia. quare haud satis accurate, nisi fallor, Boekhius cum his versibus comparavit quae dicta sunt Pyth. 4, 6 ss. ἱεράν Νᾶσον ὡς ἦδη λιπὼν κτίσσειεν εὐάρματον Πόλιν ἐν ἀργάεντι μαστῶ Καὶ τὸ Μηδεῖας ἔπος ἀγχομίσαιθ' Ἐβδόμα καὶ σὺν δεκάτῃ γενεᾷ Θήραιοι. hic enim σὺν positum est ἀπὸ κοινοῦ, quasi si dixisset σὺν ἐβδόμα καὶ σὺν δεκάτῃ γενεᾷ, non maiore insolentia dirimens quae dividi non possunt quam cum dixit Ol. 1, 79 ss. Ἐπεὶ τρεῖς τε καὶ δέξ' ἄνδρας ὀλέσαις Ἐρῶντας ἀναβάλλεται γάμον Θυγατρός. denique quae legimus Nem. 7, 30 s., ἀλλὰ κοινὸν γὰρ ἔρχεται Κύρ' Ἄϊδα, πέσε δ' ἀδόκητον ἐν καί δοκέοντα, in eis et praepositio ἀπὸ κοινοῦ posita est et, nisi fallor, καί illa de qua antea dixi ratione, ut significaret *etiam*, sed simul comprehenderet enuntiata, *at communis venit unda Orci, caditque in inglorium atque etiam in gloriosum*.¹

61

Itaque si recte disputavimus et nihil nos fugit, videmus Pindarum cum insolentia quidem aliqua sermonis καί particula non nunquam usum esse, nec tamen simpliciter traiecissee copulativam particulam, ut Latini poetae *et* illud suum traiecerunt: ceterorum antiquorum poetarum nullum traiecissee reperio praeter Anacreontem, si Teii Anacreontis epigramma est quod anth.

Pal. t. 4, p. 230 [VI, 134] legitur Ἡ τὸν θύρσον ἔχουσα Ἐλικωνιάς, αἶ τε παρ' αὐτὴν Ξανθίππη Γλαύκη τ' ἐς χρόνον ἐρχόμενα Ἐξ ὄρεος χωρεῦσι, Διωνύσφ δὲ φέρουσιν Κισσόν, καὶ σταφυλήν, πίονα καὶ χίμαρον. verum utrum Teii poetae omnia ista sint epigrammata quae in Anthologia Anacreonti attribuuntur, necne sint multum videtur posse dubitari: quanquam elegos eius coronae suae se intexuisse Meleager ait t. 4, 35 s. [IV 4, 35]. si autem traieci καὶ copulativi nullum certum exemplum apud illius aetatis poetas reperitur, ut equidem nullum reperire potui, hoc certe poema ab eo abiudicandum erit. neque enim quicquam prodesset, siquis compararet quod apud Homerum legitur II. 48, 589, Σταθμούς τε κλισίας τε κατηρεφέας ἰδὲ σηκούς. nam primum de καὶ particula disputamus, non de ἰδὲ illo: deinde ipsum quoque hoc κατηρεφέας ἰδὲ σηκούς insolenter dictum est, ut de traiecta particula assentiri dubitem et aliis et I. H. Vossio, ad h. in Cer. p. 60: quidni enim κατηρεφέας dici putemus κλισίας aut pariter σταθμούς et κλισίας et σηκούς etiam?

Sed τοὺς νεωτέρους quos dicunt traiecisse non nunquam καὶ particulam antea significavi. ita enim locuti sunt Dionysius periegetes 538 s., Κεῖθι Μέλας καὶ κόλπος ἐφ' Ἑλλήσποντον ἴησιν, Ἄφρον ἐρευγόμενος, Orpianus qui vocatur cyn. 3, 246 s., Αἰγεΐδην Θησῆα καὶ Αἰολίδην Ἀθάμαντα, Ἀθιδά καὶ Πρόκνην καὶ Θρηκίην Φιλομήλην, Manetho 3, 4 ss. Ὅσσα μὲν ἀλλήλων οἴκοις τελέουσι βρότοισιν Ἀστέρες Ἡελίφ τε πυριπλήθοντι συνόντες, Ὅπποσα καὶ κεραῆς συναφαῖς τεύχουσι Σελήνης, Ἐν προτέραις σελίδεσσι μάλ' ἀτρεκέως κατέλεξα. Nūn δέ et quae sequuntur. eodem pertinet, de quo Hermannus dixit opusc. 5, 167, traiectum a Manethone καὶ τε, 2, 184 s., ἀγαθὴ καὶ ὑπείροχα ἔργα φέρουσα Μελίονα καὶ τ' ἀρίδην ἀγάθ' ἀνθρώποις ἀνέφηνεν, et 3, 334, Εἶκελα καὶ τ' ἄλλαις ἐπιμαρτυρίας τελέουσιν.

Praecipue autem epigrammatum scriptores videntur non nunquam καὶ post initium enuntiati collocasse. unum exemplum⁶² vidimus in epigrammate Anacreonti attributo; nunc reliqua addam. Antipater Sidonius anth. Pal. 1. 7 ep. 30 Ἀκμήν σί λυρόεν τι μελίζεται ἀμφὶ Βαθύλλφ, Ἰμερα καὶ κισσοῦ λευκὸς ὄδωδε λίθος. Phantias 12, 31 Ναὶ Θέμιν, ἀκρήτου καὶ τὸ σκύφος ᾧ σεσάλευμαι, Πάμφιλε, βαιὸς ἔχει τὸν σὸν ἔρωτα χρόνος. Diodorus 12, 405 Δείδια σὸν τε φυῆς ἔρωτὸν τύπον ἦδὲ σά, κοῦρε, Δήνεα, θεσπεσίης καὶ μένος ἡγορέης, Καὶ σοφίην καὶ μητιν ἐπίφρονα. Strato 12, 219 Περιπέτω,

εἴ τις ἔχει κατὰ παιδία, καμὲ φιλείτω, Μισθὸν καὶ παρ' ἐμοῦ λαμβανέτω, τί θέλει. Archias 10, 8 Priapi statuum in litore positam loquentem inducit. parvulus sum, inquit, et rudi arte factus, Ἄλλ' ἦν τις γριπεύς με βοηθόον ἢ καλαμευτής Φωνήση, πνοιῆς ἴμαι ὀξύτερος. Λεύσσω καὶ τὰ θέοντα καθ' ὕδατος· ἦ γὰρ ἀπ' ἔργων Δαίμονες, οὐ μορφᾶς γνωστὸν ἔχουσι τύπον. Crinagoras 7, 401 Στέρνα τ' ἐποκρίοντα, καὶ οὐκ εὐδομον ὀδόντων Πρίονα, καὶ κώλων δούλιον οἰοπέδην. Ἄτριχα καὶ κόρησιν, Εὐνιδίκου ἡμιπύρωτα Λεῖψανα. ignotus poeta anth. Plan. 4, 140 (Pal. t. 2 p. 668) Δεῦρ' ἴδε καὶ θάμβησον ὑπ' ὄφρουσι κείμενον οἶκτον, Καὶ θυμόν, βλεφάρων καὶ πορρέσσαν ἴτον. Macedonius anth. Pal. 5, 225 Ἐλκος ἔχω τὸν ἔρωτα· ῥέει δέ μοι ἔλκος ἰχώρ, Δάκρυον, ὠτειλῆς οὔποτε τερσομένης. Εἰμὶ καὶ ἐκ κακότητος ἀμήχανος, οὐδὲ Μαχάων Ἡπία μοι πάσσει φάρμακα δευομένην. Paulus silentiarius 6, 168 κάπρον —, Ἀντήσας ποταμοῖο πέλας, πεφρικότα χαίτας. Ἄρτι καὶ ἐξ ὕλας πάγχυ λιπόντα βάθος Χαλικῶ Ξεινόφιλος κατενῆρατο. huc rettulerim etiam quod Rufinus 5, 36 de μηριόνη, ut loquitur, Rhodocliae dicit, Τῆς δὲ Ῥοδοκλείης ὑάλη ἴσος, ὕδρομέτωπος, Οἶα καὶ ἐν νηφ̄ πρωτογλυφὲς ξόανον.

Epigrammatum autem scriptores cum alia in sermone communia habent cum Alexandrinis poetis, tum in collocatione vocabulorum quaedam in quibus discedunt ab antiquorum poetarum consuetudine non novarunt, sed ab Alexandrinis acceperant. utar exemplo. adversativum ἀλλά non ponunt antiqui poetae nisi in principio enuntiati: quare Elmsleium in versu Sophoclis Oed. r. 605 errasse Hermannus verissime arguit. post initium enuntiati non nunquam collocaverunt qui epigrammata scripserunt. non rettulerim huc quod dixit Leonidas Tarentinus anth. Pal. 9, 335 Ἰλοφόρου τῷγάλαθ', ὀδοίπορε, Μικχαλίωνος· Ἐρμῆς ἀλλ' ἴδε τὸν κρήγρον ὕλοφόρον, aut Crinagoras 6, 242 Δαίμονες ἀλλὰ δέχοισθε. sed pertinent huc¹ eiusdem Crinagorae haec, 63 9, 234 Μουσέων ἀλλ' ἐπὶ δῶρα μετέρχεο, 9, 559 Σύν τί μοι ἀλλά, Μένιππε, λάβευ φίλος, Gaetulici 5, 17 Οὔριος ἀλλ' ἐπίλαμψον ἐμῶ καὶ ἔρωτι καὶ ἰσῶφ, Antonii Thalli 7, 188 Ἀλλὰ τεοῖς θαλάμοισι γαμοστόλος οὐχ Ἰμέναιος, Οὐδ' Ἡρῆς ζυγίης λαμπάδες ἤντιασαν, Πένθιμος ἀλλ' Αἰδῆς ἐπεκώμασεν. praeiverat Alexandrinus poeta Callimachus, cuius duos versus attulit Hermannus, h. in Iov. 48 Λάδων ἀλλ' οὔπω μέγας ἔρρεεν, οὐδ' Ἐρύμανθος, et epigr. 5, 44 Κλεινίου ἀλλὰ θυγατρὶ δίδου χάριν. addo tertium h. in Del. 302 s.

Οὔτε σιωπηλὴν οὔτ' ἄφορον· οὐλος ἐθείραις Ἑσπερος ἀλλ' αἰεὶ σε
καταβλέπει ἀμφιβόητον.

Itaque etiam καί particulae traiectionem ab Alexandrinis poetis sumpsisse epigrammatographos mihi quidem credibile videretur etiamsi nulla hodie in Alexandrinis carminibus huius rei invenirentur exempla: puto autem inveniri. sed hic paene reformido disputationem, cum acutissimo viro et qui in hoc carminum genere habitabat assentiri non possim, dissentiam autem ab eo ita ut in lubrica quaestione mihi ipse minime satisfaciam, sed diffidam. Augustus enim Ferdinandus Naekius copulativam coniunctionem post principium enuntiatum positam esse a Callimacho graviter negavit Hecales capite 3 (mus. Rhen. a. 1834 p. 579) [op. II. 89] et antea in dissertatione critica quam de Tzetzta et Callimacho scripsit (annal. academiae Borussicae Rhenanae I p. 404) [op. I. 60.] verum in ipso isto Callimachi versu de quo Naekius disputavit non tenere quidem rem mihi videor, sed post multiplicem cogitationem tamen recurrit mihi semper traiecta καί particula. de Delo insula Callimachus ita loquitur v. 44 ss.,

Κεῖνῃ δ' ἡγεμόεσσα καὶ ἄτροφος οἶά θ' ἀλιπλήξ
Αἰθιόης καὶ μᾶλλον ἐπίδρομος ἤεπερ Ἴπποις,
Πόντῳ ἐνεστήρικται.

in libris ἄτροπος legitur, ἄτροφος inventum est a Blomfieldio et videtur esse verissimum. Valckenario autem (eleg. Callim. p. 272 ss.), qui hic quoque resecare volebat quae nolebat intellegere, rectissime Naekius oblocutus est. vidit enim, quod manifestum est, mala omnia de Delo insula praedicari, quo grave magis atque admirabile esset quod deinde subiceretur, inter principes insulas vel principem omnium numerari insulam vilem per se, sed Apollinis natalibus claram. sed quod addit Naekius
64 καὶ significare etiam et cum μᾶλλον adverbio coniungendum esse, hoc vero male me habet. καὶ μᾶλλον inquit, ut nos noch mehr non solum de eo dicimus quod plus quam multum, sed etiam de eo quod plus quam parum est. ut hoc dicat poeta, mergis quidem non multum celebratam esse insulam, sed tamen mergis magis quam equis. haec non possum, quamvis studeam, intellegere. primum si καὶ μᾶλλον coniunctum esse putamus, minus pulcre sine nexu positus est versiculus: nam quod antecedit οἶά θ' ἀλιπλήξ non potest cum hoc versiculo coniungi, pertinet ad ἄτροπος vocabulum. neque enim recte diceretur equis carere

insula propterea quod esset a marinis fluctibus verberata: dicitur equis carere quoniam insula est et aperte obversabantur animo Callimachi Homericæ illa, Οὐ γὰρ τις νήσων ἰππήλατος, οὐδ' ἐυλείμων, Αἴθ' ἀλί κεκλιάται. contra recte Delus dicitur ventosa et sterilis, utpote quæ a marinis fluctibus verberetur nequis autem putet in hac verborum coniunctione non οἶά τε dicendum fuisse, sed οἶα vel οἶα δῆ, discrimen illud quod Hermannus significavit, ad Hom. h. in Cer. 403, ostendam non usque quaque ab omnibus esse observatum, sed recentiores poetas οἶά τε dixisse non tantum ubi rem aliquam cum alia sine certa definitione et quasi dubitanter comparabant, sed etiam ubi definite ratiocinabantur. Antiphilus Byzantius hæc dixit anth. Pal. 9, 443, Ἡ τερεβινθώδης, ὀλιγάπελος, οἶά τε βανή, Νησίς, ἀλλ' ὀμαλή πᾶσα καὶ ἀστούφελος. similiter, ut puto, Antonius Thallus 7, 488 Δύσδαιμον Κλεάνασσα, οὐ μὲν γάμψ' ἔπλεο, κούρη, Ὠρίος, ἀκμαίης οἶά τ' ἐφ' ἡλικίης. itaque significat non nunquam οἶά τε idem atque Latinorum *utpote*: neque tamen τε particulæ vis et notio oblitterata est, sed dixit Callimachus *illa autem ventosa et sterilis, ut fere solent esse quæ a marinis fluctibus verberantur*. deinde quod Naekius existimavit Callimachum dicere, Delum mergis quidem non multum celebratam esse, sed tamen mergis magis quam equis, hoc eum neque dixisse neque dicere potuisse credo. hoc enim nimium est et paene ineptum, ne mergos quidem, quibus vel scopulus statio gratissima est (Verg. Aen. 5, 448), multos esse Deli. recte vero, tanquam a quibus maxime incolatur insula, mergi commemorantur, quorum in describenda insularum vel litorum solitudine sæpe numero mentio fit et quasi coniuncta est cum mari cogitatio. Archias anth. Pal. 40, 8 Βαῖος ἰδεῖν ὁ Πρίηπος ἐπ' αἰγιαλτίδα ναῖω Χηλήν, αἰθυίαις οὐ ποτ' ἐναντίβιος (hoc enim restituit Hermannus). quare, dum meliora docear, sane existimo nihil aliud dicere Callimachum quam καὶ αἰθυίης μᾶλλον ἐπίδρομος ἢ ἔπερ ἴπποις. sed recte a me postulabitur ut causam aperiam cur insolenter loqui poeta maluerit quam consueto more. et videor mihi videre aliquam rationem in metrica arte Callimachi, qui quam anxia cura versus suos elaboraverit alio exemplo Naekius docuit Hecales cap. 6 (mus. Rhen. a. 1836 p. 8 s.) [op. II. 457]. etsi enim non indiligenter quaesivi, nullum tamen apud Callimachum invenire potui versum qualis hic esset, Αἰθυίησί τε | μᾶλλον ἐπίδρομος | ἢ ἔπερ ἴπποις, sed cum multos habeat

versus quorum pedes alter et quartus dactyli sunt, ubique cavitate his duobus dactylis orationis particulae aequabiliter terminentur. quare partim aliis verborum incisionibus usus est, veluti in altero statim primi hymni versiculo, Λώιον ἢ θεὸν αὐτόν, ἀεὶ μέγαν, αἰὲν ἄνακτα, eodemque modo saepius, partim etiam sine interpunctione aliter verba coniungenda sunt, veluti h. in Ap. 76 Δεῖμε δέ τοι μάλα καλὸν ἀνάκτορον· ἐν δὲ πόλει, 92 Οὐ κείνου χορὸν εἶδε θεώτερον ἄλλον Ἀπόλλων, h. in Di. 208 Ὑψηλὸς παρὰ τύμβον Ἰώλκιον ἔμμορ' ἀέθλου, in quibus dirimi non possunt μάλα καλὸν ἀνάκτορον, θεώτερον ἄλλον, παρὰ τύμβον Ἰώλκιον. hymni in Delum versus 260 hic est, Χρῦσεά τοι τότε πάντα θεμελίαι γείνετο, Δῆλε, sed hic quoque post τότε ne parvulum quidem est orationis intervallum. non minuit huius observationis veritatem quod h. in Iovem 93 s. dictum est Οὐτ' ἀρετῆς ἄτερ ὄλβος ἐπίσταται ἄνδρας ἀέξειν, Οὐτ' ἀρετῆ ἀφένοιο. οἰδοῦ δ' ἀρετῆν τε καὶ ὄλβον: nam propter oppositionem grave pondus habet ὄλβος cogitque nos voce paulum morari, cohaerent autem inter se ἀρετῆς ἄτερ ὄλβος. profecto hic quoque versus tres paene aequales habet partes, Αἰθυίης καὶ | μᾶλλον ἐπίδρομος | ἠέπερ ἵπποις, sed ut minus insuaves sint numeri quam si dictum esset Αἰθυίησί τε. verum uterque sese res habet, non hoc mihi sumo ut omnem hanc quaestionem profligasse videri velim, sed ex difficultate aliquo modo me expedire conatus sum. unum persuasum mihi est, propter insolentiam dictionis in carmine Alexandrino nihil temere mutandum esse.

Atque aliud exemplum post initium enuntiati collocatae καὶ particulae invenire mihi videor apud poetam item Alexandrinum. etenim circa finem carminis quod inter Theocritea tertium et 66 vigesimum est contumax puer lavatum abijt,

Καὶ ποτὶ τὸν θεὸν ἦνθε τὸν ὕβρισε· λαϊνέας δὲ

Ἰστατ' ἀπὸ κρηπίδος Ἐρωσ ὑδάτων ἐφύπερθεν.

Ἄλατο καὶ τῷ γάλμα, κακὸν δ' ἔκτεινεν ἔφαβον.

in his nisi ad incredibilem mihi depravationis suspicionem confugas, rara illa particulae collocatio agnoscenda erit. nam nihil dicitur aliud quam καὶ ἄλατο τῷ γάλμα. *)

*) [Postquam ab his versibus editorum interpolationes detersae sunt nullum est hyperbaton. credidit autem Hauptius spurii carminis poetam ita scripsisse;

καὶ ποτὶ τὸν θεὸν ἦνθε τὸν ὕβρισε· λαϊνέας δὲ
Ἰστατ' ἀπὸ κρηπίδος ἐς ὕδατα, τῷ δ' ἐφύπερθεν
ἵπτατο καὶ τῷ γάλμα, κακὸν δ' ἔκτεινεν ἔφαβον.]

Alterum inveniretur apud Theocritum insolenter positi καί exemplum, si probandum esset carm. 1, 109 quod Fr. Graefius olim proposuit Ὀραῖος χῶδωνις ὄπα καὶ μᾶλα νομεύει, aut quod H. L. Ahrensius, assumpto a Toupio novo vocabulo et fortasse non Graeco, scripsisse poetam nuper coniecit Ὀρειος χῶδωνις ὄπει καλὰ μᾶλα νομεύει. sed ex his coniecturis nullum disputationi meae praesidium quaero, cum aliter de illo versu existimem. de qua re, quoniam cum multiplici quaestione coniuncta est, alio tempore dicam: [*zu den griechischen Bukolikern (Rh. M. IV, 260)*] nunc illud carmen 23, ut ab operosa disquisitione respirem, emendare volo, si possim emendare. v. 27 ss. infelix amator haec praedicat puero,

οἶδα τὸ μέλλον.

Καὶ τὸ ῥόδον καλὸν ἐστὶ, καὶ ὁ χρόνος αὐτὸ μαραίνει:

Καὶ τὸ ἶον καλὸν ἐστὶν ἐν εἴαρι, καὶ ταχὺ γηρᾶ.

Λευκὸν τὸ κρίνον ἐστὶ, μαραίνεται ἀνίκα πίπτῃ.

Ἄ δὲ χιῶν λευκά, καὶ τάκεται ἀνίκα παχθῆ.

Καὶ κάλλος καλὸν ἐστὶ τὸ παιδικόν, ἀλλ' ὀλίγον ζῆ.

Ἦξει καιρὸς ἐκαῖνος ὀπανίκα καὶ τὸ φιλάσεις,

Ἄνίκα τὰν κραδίαν ὀπτεύμενος ἄλμυρὰ κλαύσεις.

hic versum illum Ἄ δὲ χιῶν depravatum esse plerique grammatici intellexerunt: restituit eum felici coniectura Godofredus Hermannus, Ἄ δὲ χιῶν λευκά 'στι, μολύνεται ἀνίκα ταχθῆ. nihilo tamen minus huius versus emendatione carmen nondum puto in pristinam formam redactum esse. nam cum in reliqua comparatione singulis exemplis idem eodem modo καὶ praemissum sit, omnia autem ad pulcritudinem pertineant, isti duo versiculi in quibus de lilio et nive dictum est et orationis concinnitatem interrumpunt et candoris commemorationem admiscunt, similem specie, re vera ab hac sententiarum continuatione alienam. quanto elegantius atque rectius carmen omnia omni interpellatione ita conectitur,

Καὶ τὸ ῥόδον καλὸν ἐστὶ, καὶ ὁ χρόνος αὐτὸ μαραίνει.¹ 67

Καὶ τὸ ἶον καλὸν ἐστὶν ἐν εἴαρι, καὶ ταχὺ γηρᾶ.

Καὶ κάλλος καλὸν ἐστὶ τὸ παιδικόν, ἀλλ' ὀλίγον ζῆ.

itaque quae de lilio et de nive interposita sunt ex alio carmine desumpta atque a grammatico propter similitudinem ad hoc carmen ascripta esse existimo. cuius suspicionis probabilitas augetur eo quod bonus poeta in eadem sententiarum serie idem

verbum *μαραινειν* non videtur fuisse iteraturus, multo autem magis aliorum versuum carminibus Theocriteis similiter admistorum comparatione firmari potest. ut unum exemplum proferam carm. 8, 76 ss. haec leguntur in codicibus,

Ἄδει' ἃ φωνὰ τὰς πόρτιος, ἄδὸ τὸ πνεῦμα.

Ἄδὸ δὲ χά μόςχος γαρύεται, ἄδὸ δὲ χά βῶς.

Ἄδὸ δὲ τῷ θέρεος παρ' ὕδωρ ῥέον αἰθριοκοιτῆν.

paulo accuratius attendentem offendet quod nominativos *ἄδεια* et *ἄδὸ* interrumpit subiecti mutatio: nam in tali epanaphora aequalia omnia et quam accuratissime quasi coagmentata requirimus: quanquam multo minor haec aequalitatis perturbatio est quam quae removenda esse mihi videbatur ex carmine 23. atqui versus ille Ἄδὸ δὲ χά μόςχος γαρύεται, ἄδὸ δὲ χά βῶς cum etiam amoebaei carminis concinnitatem accessione sua pervertat, quin ex carmine 9 (v. 7) propter similitudinem orationis huc illatus sit dudum nemo dubitat. possum complura addere, sed haec quoque in aliud tempus differo.

VIII

Nam cum satis longo itinere per aridas quaestiones et quasi syrtes quasdam grammaticas ad virides bucolicae poesis Graecae silvas delatus sim, ne commorantem me amoenitas earum diutius retineat, redeo tandem ad Catullum, a quo initium feci huius libelli et in quo scribere desinam. ut autem molesto disputationis anfractu hic saltem mihi caveam neque iterum lectores defatigem, seligam duos eius versus de quibus breviter dici potest.

Carminis igitur 64 versu 37 (p. 43, 44) probata Pontani emendatione Lachmannus sic scripsit rectissime,

Pharsalum coeunt, Pharsalia tecta frequentant.

sunt qui recte factum negent et *Pharsaliam*, quod in codicibus
 68 legitur, defensissent, synizesin praetendentes quam in deliciis
 habent, parabile scilicet ubique auxilium. verum in diiudicando
 synizesis usu multa reputanda sunt, sonus, causae, tempora, car-
 minis genus, consuetudo poetarum, tum hoc diligenter caven-
 dum est, ne surdos fuisse existimemus poetas Graecos et Latinos
 aut caecos ad invenienda ea quae in promptu erant. itaque etsi
 saepe iudicium a probabilitate pendeat, tamen multa nihilo mi-
 nus certa erunt a quibus abhorrebunt qui codicibus in servitu-

tem addicti sunt. veluti mirabile esset si Catullus hic, ubi urbis nomine uti et debebat et commodissime poterat, regionis nomine et orationem depravasset et versum inscienter conformasset: offendit enim *Pharsaliam* illud, sive ad synizesin confugas, sive quattuor esse putes insolenti mensura syllabas. sed defendit hoc Isaacus Vossius versu quodam Calpurnii: quod quo iure fecerit age considerate. leguntur apud Calpurnium haec 4, 97 ss.

*Aspicias ut virides audito Caesare silvae
Conticeant? memini quamvis urgente procella
Sic nemus immotis subito requiescere ramis,
Et dixi, deus hinc, certe deus expulit Euros:
Nec mora, Pharsaliae soluerunt sibila cannae.*

haec intellegi nequeunt, quicquid moliantur interpretes: illud enim nimis ineptum est quod Sarpus Lucani carmen tangi somniavit. quid scripserit Calpurnius satis manifestum est si contuleris proximos versus,

*Aspicias ut teneros subitus vigor excitet agnos
Utque superfuso magis ubera lacte graventur
Et nuper tonsis exundent vellera fetis?
Hoc ego iam, memini, semel hac in valle notavi
Et venisse Palen pecoris dixisse magistros.*

itaque intellegebam hoc dedisse Calpurnium,

Nec mora, Parrhasiae sonuerunt sibila cannae,

recordabarque Vergilium Aen. 8, 343 s. dixisse *Lupercal Parrhasio dictum Panos de more Lycaei* et Nonnum 23, 451 s., Αἰγείοις δὲ πόδεςσι διέτρεχε Παρράσιος Πάν, Ἄκρα γαληναίοιο διαστελέων ποταμοῦ, 32, 277 Πρεσβυγενῆς φύξιλις ἐχάζετο Παρράσιος Πάν. postquam autem cum Wernsdorfiano exemplari, quo solo usus fueram, alia comparavi, vidi eandem emendationem dudum protulisse Nicolaum Heinsium. quare ne nullam habeat utilitatem quod Calpurnii mentionem feci, duos alios ex⁶⁹ illis carminibus versus hac occasione data emendabo. in carmine 6, v. 42 s., Calpurnius cervum cum describit, haec subiungit, si codicibus credimus,

Cornua subtiles ramosaque tempora molles

Implicuere rosae:

scripsisse videtur

Cornua sutilibus ramosaque tempora nodis

Implicuere rosae.

in ecloga autem 9, v. 53 s., postquam carmen Idae pueri retulerat poeta, alterius pueri Alconis carmen praeparat. sed ineptum est quod in libris legitur,

Haec Idas calamis. tu quae responderit Alcon

Versu, Phoebe, refer: sunt aurea carmina Phoebo.

scribendum est, ut mihi quidem videtur, *sunt curae carmina Phoebo.* nam praeclara esse Apollinis carmina praeter rem diceret poeta, apte autem loquitur cum ab Apolline, carminum auctore et omnis poesis praeside, petit ut quid Alcon cecinerit referat.

Itaque Pharsaliam ex carmine Catulli Pontanus recte removit. sed alius eiusdem carminis versus turpibus vitiis laborat. narantur ibi haec inde a versu 285 (p. 51, 22 ss.),

Confestim Penios adest, viridantia Tempe,

Tempe, quae silvae cingunt super impendentes,

Minosim linquens doris celebranda choreis.

mendosa vocabula multi conati sunt corrigere, sed ut neque verum invenirent neque refellere eos opus sit. ex me siquis quaerat quibusnam Peneus Tempe choreis celebranda reliquerit, respondeo Nymphis. *Minosim* igitur illud suspicor esse *Naiasin*. nam Graecis eius modi dativis cur Propertium et Ovidium primos usos esse credam nullam video esse causam. similiter Bernardinus Realinus scribendum esse coniecit *Naiadum linquens claris celebranda choreis*. sed genitivus casus a codicum litteris longius distat, ad orationem minus aptus est quam dativus: deinde de claris choreis sermo hic esse potest nullus. fuerunt qui doris choreis significari putarent Dorica veste saltantes iuberentque nos recordari quam saepe nomina propria adiectivorum significationem haberent. crederem, si nossem aliquos Doros: novi tantum Doros vel Dorienses, qui a Doro gentem et
70 nomen ducunt. est igitur¹ mendosum istud *doris*. mihi quotiescunque de hoc versu cogitavi unum semper occurrit vocabulum et simplicissimum et aptissimum, idque restituo litteris istis *doris* paene non mutatis, sed additis tantum una integra et altera dimidia. hoc enim scripsisse Catullum existimo,

Naiasin linquens pulcris celebranda choreis.)*

*) [Pro pulcris edidit Hauptius Lachmannianum crebris.]